


DE MAGISTRATIBVS ET REPVBLICA VENETORVM LIBRI QVINQVE,

AVTHORE GASPARE CONTARENO PATRICIO VENETO.

CVM PRIVILEGIO.












VENETIIS APVD BALDVM SABINVM, ANNO M. D. LI.





CLARISSIMO VIRO CATARINO ZENO BALDVS SABINVS S. P. D.









IV, multumq; cogitaui, utrum præstaret, uel re ipsa meam tibi gratificandi cupiditatem declarare, uel, cum amor meus erga te summus sit, signa autem minima, meritorum in me tuorum magnitudinem cõtemplari; cum ad ea cogitanda longe me aptiorem esse intelligam, quàm referenda. Qua in cogitatione cum diu uersatus essem, statui ad extremum hoc meum studiũ, quoquo modo possem, testificari; uetere adductus agricolarũ more, qui Dijs immortalibus munera consecrabant, quæ tamen infra ipsorum numen multo essent, ut Cereri spicam, uuam Baccho, Palladi oleã. Existimaui igitur nõ ab re esse, si huiusmodi morem obseruarẽ, aliquidq; tibi, quantum tamen mea tenuitas uidetur ferre, porrigerem. Verumenimuero, cum nihil mihi sit antiquius, quàm ut poßim meam in te obseruantiam indicare, duxi me haud aptius id posse consequi, quàm si quem librum ad te mitterẽ, præsertim ex eo genere, qui scripti sunt in re, quæ ad te pertinere uideatur, hoc est ad ciuitatum guberna-

tionem in qua te excellere nemo nescit. Misi igitur eum librum, in quo ueluti in eleganti picturæ tabula, reipublicæ nostræ effigiem intueberis, non illã quidẽ eloquentiæ ornamentis illustratam, uerum duntaxat ueritatis lineamẽtis expressam. Hoc autem effeci duabus de causis, primum quia animum meum erga te aßidue gratum ostendõ, deinde quia neminem inueni, cui iure magis dicaretur, cum propter nobilitatem familiæ tuæ, tum ob summam tuam ipsius uirtutem multis, magnisq; in remp. meritis patefactam, possem hoc in loco pluribus exponere tuas animi dotes, uerum quia innumerabiles, & maxime perspicuæ sunt; id quidem neque præstari posse, & superuacaneum esse duxi, supraq; ingenij mei uires: quod & maxime imbecillum est: & firmißimum tamen, atque acerrimum si esset, tantum tamen abesset, ut illud onus sustinere possem, ut, dum illud mecũ ipse reputo uerear, atque expauescam. Hunc igitur librum amplectere uultu hilari, quæsoq;, ut hoc paruulum munus meum, simul cum animi magnitudine metiaris: quod enim in illo desideratur, hæc habet; ut ab hac fieri poßit amabilius. Interea librum, ac me ipsum tibi defero, ac dono, & quamuis me minimi esse intelligam, tamen quia nihil mihi carius, atq; iucundius est me ipso, cum tibi illud dem, quod pluris, quàm omnia facio, nil prorsus uereor, cum humanißimus sis, quin ambos libenter amplectaris. Vale, & me, tuo nomini dedißimum, ea, qua soles, humanitate complectere, ac foue.

DE MAGISTRATIBVS ET REPVBLICA VENETORVM,

Libri quinque, authore Gaspare Contareno Patricio Veneto.





SAEPENVMERO *animaduerti complures aduenas, prudentes homines, nec bonarum artium ignaros, qui cum primùm Venetias uenissent, ac amplitudinem eius urbis contemplati eßent, adeò sunt admiratione ac ueluti stupore quodam perculsi, ut nihil mirandum magis aut illustrius se unquam uidisse præ se tulerint, ac totius oris significatione ostenderint. Nō tamen omnes eiusdem rei admiratio capiebat. nam quibusdam mira quædam res, ac propè incredibilis esse uidebatur, tam magnam mercium omnium copiam ex omnibus terrarum oris ac regionibus, perpetuo quodam ac constanti tenore in hanc unam ciuitatem inuehi, indéque in longè diuersißimas gentes terra mariq; deduci. At alios detinebat urbis frequentia, & omniū propemodum gentium conuentus, ac si commune orbis emporium Veneta ciuitas eßet. Nonnulli mirabantur magnitudinem imperij, latámque & terra & mari ditionem. At plerique omnes politioris et acrioris ingenij homines, hanc nouam situs urbis rationē, atq; adeò ad omnia opportunam, deorum immortalium potius quàm hominum opus atq; inuentum fuiße putare soliti sunt, ac ob hāc potissimùm causam Venetam urbem omnibus alijs præstare, quæ nunc usquam gen-*

Merciū copia.

Vrbis frequentia.

Venetiarū ditio.

Collatio urbis Venetæ cum alijs.

tium sunt, aut unquam fuerũt. Ac nimirum si superiora perspexeris, etiam hac tempestate nonnullas urbes inuenire facile poteris, quas cum hac nostra conferas non paucas uerò seculis retroactis, quæ et imperij magnitudine, & frequentia populi, rerumq; omnium copia, & magnificentia, urbi Venetæ longè præstitere. Verùm post hominum memoriam, nulla usquam gentium ciuitas extitit, quæ tã opportuno, tam tuto, ac tãdem tam alieno ab hominum fide situ condita fuerit. Pleriq; in condenda ciuitate satis se fecisse arbitrati sunt, si locum delegissent ad quem difficilis & incommodus hostibus accessus esset ad inuadendam obsidendãq; urbem. Inde euenit ut complures ciuitates conditæ sint aut in montium salebris, aspero difficiliq; accessu, aut locis palustribus, diuersa quadam ratione. Nõnulli nihil præferendum censuere commodo opportunoq; situi ad importanda exportãdaq; omnia sine quibus sufficere sibi ciuitas nequeat tum ad necessitatem, tum etiam ad molliorem quendam uitæ luxum. Qui uerò utriq; rei studuerint, paucos admodũ inuenias, pauciores uerò qui id præstiterint: nullos autem, quos sciam, qui omni ex parte id fuerint assecuti. At Venetiarum situs diuino potius quodam consilio, quàm humana industria, præter fidem eorum omnium qui eam ciuitatem non uidere, et ab omni hostili impetu terra mariq; tutissimus est: necnon etiam aptissimus omnium ad cuiusque rei copiam, siue ex mari, siue ex continente ciuibus suggerendam, atq; ad commercia omnis generis mercium cum omnibus penè nationibus habẽ-

Venetiarum situs cõmoditas ex necessitate & utilitate penditur.

da. Nam in receſſu penetraliq́; Adriatici pelagi eſt ſita: ubi quà mare attinet ad continentem terram, magna æſtuaria panduntur, miro naturæ artificio munita. nam duodecim millibus paſſuum à continente mare incipit eſſe uadoſum: intra uada breuiaque littus aſſurgit ueluti agger quidam. Hæc fluctibus fremituíque marino obſiſtentia, uniuerſam eam ſtationem internam longè latéque fuſam adeò tutam reddunt, ut non tantum maris impetus, cum aſſurgit, ac tum ualida tempeſtate ad interiora non niſi fractus penetrare poſſit, uerùm etiam neque nauibus aduentantibus liber aditus pateat: quin potius opus eſt, niſi leues admodum fuerint, ut his in locis, ubi uenientibus occurrunt uada, in ancoris conſiſtant: nactæ deinde tranquillam tempeſtatem, ac à peritis gubernatoribus ſeu potius uadorum exploratoribus circumactæ, anguſta quadam & implicata uia, qua ſcilicet altior eſt unda (hæc uerò ſingulis ferè diebus æſtu maris mutatur & uariat) tandem ad urbem perueniant: Littus illud quod aſsurgit poſt uada, ſexaginta fermè millibus paſſuum extenditur, atque interiora æſtuaria concludit. Non ita tamen continuum eſt, qui ſeptem locis diſruptum mari aditum ad internam ſtationem præbeat. Diſtat autem à continente ſex millibus paſſuum. Hac ergo ratione Venetæ urbis æſtuaria partim continente terra, partim littore ac uadis concluſa ſunt: in quibus medijs ea regione quæ Riuoaltus dicta à maioribus in hunc uſque diem nomen ſeruauit, condita fuit urbs Situs deſcriptio. Riuoaltus.

Veneta urbs conditur. Atila Hunnorũ dux.

Veneta, quo tempore Hunni duci Atila totam Venetam insignem Italiæ prouinciam, quæ hisce æstuarijs finitima est, igne ac cædibus deuastabant. In qua calamitate Patauij, Aquileiæ, Opitergij, Concordiæ atque Altini illustrium Venetiæ urbium ciues, qui & nobilitate & diuitijs alijs præstitere, primum se cum familijs recepere in nonnullas insulas, seu potius tumulos, qui in æstuarijs hisce paululum è mari eminebant ibidémque oppida quædam extruxere, in quibus tanquam in tutissimo portu turbulentissimam illam Atilæ tempestatem effugerent. Necnon eodem tempore in littore de quo suprà meminimus, non nulla oppida condita fuere, eodem conueniẽtibus eiusdem oræ incolis, qui patrias item sedes reliquerãt ab Hunnis direptas, ac dirutas, tutumq́; locum quæsierãt uxoribus, liberisq́;, ac ut ita dicã, dijs Penatibus. Postmodum Caroli Pipiniq́; regum temporibus communi consilio omnes in Riuoaltum conuenere, ueluti in locum omnium tutissimum, ac maximè commodum: sicq́; eò loci conuenientibus omnibus quicunque uexationẽ & deuastationem eam Italiæ illatam ab omni Barbarorum illuuie effugiere potuerunt, in eam magnitudinem quam nũc cernimus, Venetiæ excreuerunt. Venetæ igitur urbis situm maximè tutum esse, liquere omnibus põt uel ex ipsa ratione eius urbi constituendæ: cũ sic homines illã condiderint, qui eam Italiæ cladẽ atrocissimam effugêre, ibiq́; incolumes cũ familijs in tantis calamitatibus perstitêre. Quin post ea tempora, quod nulli unquam ciuitati legimus contigisse, à prima ur-

Carolus & Pipinus reges.

bis origine ad hæc usq; tempora, per mille ferè et centum annos, immunis semper ab hostili ui urbs Veneta perseuerauit, cũ tamen opulentissima ditißimaq; auri, argenti, ac rerum omnium ciuitas ab extremis etiã orbis regionibus Barbaros ad prædam potuerit inuitare. Quo fit, ut non malè sentire existimẽ eos qui hac una ratione Venetias cæteris ciuitatibus præstare cẽsuere. Verùm aliud quoddam est in hac ciuitate, quod longè omniũ præstantissimũ censuerim ego, mecùmq; omnes qui ciuitatem non tantùm mœnia ac domos esse putant, sed existimant ciuium conuentum ac ordinem potissimum hoc sibi nomen uendicare: Reip. scilicet ratio & forma, ex qua beata uita hominibus contingit. Hoc reor ego eße eximium illud ac præclarũ, quo Venetiæ maximè eniteant, atq; oẽm antiquitatẽ superare uideantur. Nã etsi cõpertũ est nonnullas Respublicas extitiße, quæ imperio, ditiõe, necnõ militiæ disciplina, ac bellorũ gloria Reip. Venetæ lõgè præstiterint, nulla tamen institutione ac legibus ad bene beateq; uiuendum idoneis, cũ hac nostra conferri potest: quo effectũ esse perspicimus, ut neq; adeò diuturna ulla unquã perstiterit. Quã rem cũ mecũ ipse considero, magnopere mirari soleo maiorũ nostrorũ sapientiã, industriã, excellentẽ animi uirtutem, atq; adeò incredibilẽ erga patriã charitatem. Fuere Athenis, Lacedæmone, ac Romæ nonnulli ciues uitæ probitate, atq; in Rẽpub. pietate insignes uiri, sed adeò pauci, ut multitudine obruti, non multũ patriæ rei profuerint. At maiores nostri, à quibus tam præclarã Remp. accepimus, omnes

Ab urbe cõdita ad authoris tempora mille & centum anni.

ad unum consensere in studio patriæ rei firmandæ, et amplificandæ, nulla propè priuati commodi & honoris habita ratione. Huiusce rei coniecturā facere quiuis facilè poterit, minimè inquā ambitiosos fuiße Venetos homines, sed patriæ commmodo tantùm studuisse, q; nulla, aut admodum pauca antiquorum monumēta Venetijs extent: alioquin domi forisq; præclarißimorum hominum, et qui de Rep. bene meriti fuerint, non sepulchra, non equestres aut pedestres statuæ, nō rostra nauium, aut uexilla ab hostibus direpta, ingentibus prælijs superatis. Vnum ex innumeris gentilis mei Andreæ Contareni ducis exemplum adferam. Genuensi bello grauißimo, ac longè omnium periculosissimo, cum dux hic nostræ Reip. præeßet, incredibili sapientia, animiq; magnitudine singulari rem patriam seruauit, hostésq; iā uictores, maxima clade illata profligauit, omnésq; ad unum aut trucidauit, aut captiuos fecit. Conseruata patria, re aucta, confirmataq; Rep. diem extremū clausit, ac testamento cauit, ne eius sepulchro, quod ad hanc diē uisitur iuxta templum diuo Stephano dicatū, ulla ducis insignia, ulláue gentis nostræ adfigerentur. qui neq; tam magni ducis nomen inscriptum ibidē uideas. Qua eius modestia effectum est, ut uiri celeberrimi, illustrissimiq; principis monumentum pleriq; omnes ignorēt. Certissimum hoc reor ego argumentum esse, non ambitionis uentosæúe famæ maiores nostros studiosos fuisse, sed patriæ tantū bono cōmuniq; utilitati cōsuluisse. Hac ergo incredibili uirtute animi maiores nostri hāc Rēp. Instituêre qualē post

Veneti minime ambitiosi.

Andreas Cōtarenus.

Cōtareni sepulchrum.

hominum memoriā nullā extitiſſe, ſi quis hanc noſtrā cum celeberrimis antiquorū conferat, meridiana luce clarius intuebitur. Quin adfirmare auſim, neq; monumētis inſigniū philoſophorū, qui ꝑ animi uoto Reip. formas effinxere, tam rectè formatā atq; effictā ullam contineri. Quāobrem putaui ego exteris hominibus rem minimè ingratā me facturū, ſi tā præclaræ Reip. inſtitutionem literis mandarem: cū præſertim nullū hiſce tēporibus uideam ex quāplurimis doctisſimis uiris, qui multū ualēt ingenio, eruditione rerum omniū ac eloquentia, hanc rē literis illuſtrauiſſe. Cui licet nihil luminis ex oratione noſtra adferri poſſe certò ſciam, per ſe tamen eſt adeò illuſtris, ut non tantùm ſibi, uerūetiam orationi noſtræ alioquin tenui multum dignitatis ac ſplendoris ſit allatura. Quamobrem cū de hac noſtra Rep. ſcrebere inſtituerim, ut quilibet facilè dignoſcere queat, rectène an perperam ſe habeat, hinc mihi potisſimū exordiū ſumendū reor, hominem ſcilicet à natura ciuile animal effectū eſſe, ſolū uerò nedum rectè uiuere, ſed neq; uiuere poſſe. Id quod quotidiana necesſitas, ac uictus ueſtitusq; ratio planè oſtēdit: ac ob eam cauſam & à principio homines conueniſſe in hanc ciuilem ſocietatem, ac deinde perſeueraſſe, ut bene beateq; uiuerēt, hoc eſt, ut mutuo adiumento ac opera ſummum hominis bonum adſequerentur, quod fieri poteſt donec mortalem hāc uitam degimus. Quamobrē etiā uniuerſa ratio ciuilis inſtitutionis eò pertinet, ut qua faciliori uia id fieri queat, ciues faciat felicis uitæ cōpotes. At fœlix beataq; uita uſu uirtutis

Authorem quid impulerit ad ſcribēdam hiſtoriam.

Homo ſociale animal.

præcipuè contineri à summis philosophis perhibetur. Quod etiã probãt certissimis rationibus, argumẽtisq; euidẽtissimis. Verũ usus uirtutis et in muneribus belli cis elucet, et in functiõibus pacis. Atq quãuis laus bellica, totaq; militaris ratio tũ necessaria sit ciuitatibus pro conseruanda libertate, ac finibus tuendis, tũ etiã dignitatis & splendoris plurimum habeat, nihilominus respuit communis hominum sensus officia bellica, quibus cædes ac mortalium detrimenta in primis pro curantur, esse per se expetenda, atque ad ea cætera omnia ciuilia munera esse referenda. Ac equidem cru delis ingenij, quin potius ab humanitate abhorrentis hominis esset, optare prælia, cædes, incendia, hac duntaxat de causa, ut in re militari clarus sit, adde etiam, si libeat, ut summi imperatoris laudem consequatur. Quare omnes philosophi insignioris notæ in hãc sententiam consensere, bellum esse propter pacem expetendum, omnemq; functionem uirtutis militaris, atque uniuersam laudẽ bellicam ad pacis officia esse referendam. Quãobrem is Reip. institutor qui laude dignus haberi, & ut dici solet, omne punctum tulisse uideri uult, eã moderationem adhibeat, ac eum ordinẽ tueatur, ut ad uirtutẽ accõmodata tota Reip. institutio ui deatur, ad idq; ut magis ad pacis functiones, q̃ ad bellica munia spectare existimetur, bellicis interim et mi litaribus non neglectis. Nã plerunq; & finibus tuen dis, & propagandis, dummodo id sine iniuria fiat, ne cessaria est militaris uirtus. Cæterum his quæ diximus constitutis, illud statim in controuersiã reuocari

Rei militaris necessitas.

Bellum propter pacem expetendũ.

ſolet, gubernationi ciuitatis unúsne rectius, an pauci præſideant, an potius uniuerſa multitudo, qualem plerique effingunt ſtatum illius quæ propriè Reſp. uocari debeat. Ac equidē egregiè ſtatutum, ſapienterq; dictū mihi uideri ſolet, hominum gubernationem perperam homini cuipiā demādari: ſed diuinius aliquid eſſe oportere, cui officium iſtud incumbat. Quod conijci facilè poteſt ex pleriſq; generibus animantium. Gregē enim ouium, ouis non regit: nec boum aut equorum armentum, equus, bóſue aliquis moderatur, ſed animal longè magis eximiū tuetur ac regit brutas animātes, homo inquam: qui quātum brutis antecellat, eſt omnibus compertiſſimum. Itaque nō diuerſa ratione hominem moderari ac regere debet quidpiam homine præſtantius & diuinius, ſi ex animi ſententia res ſucceſſura ſit. Sed cū in mundanis rebus quæ ſenſu percipiuntur inueniri minimè poſſit melius ac præſtantius homine, ac homo uarium quoddā ſit animal, et longè diuerſis partibus conſtet, (inferioribus quippe animi uiribus cum belluis cōmunionem quandam habet, at ſupremis attingit quodāmodo deos immortales) id certè inter homines gubernatoris atque moderatoris locum tenere debet, quod ē in homine diuinū. Id uerò omnium conſenſu eſt mens: diuini inquam ſplendoris radius quidam à natura inſitus hominum animis. Non ergo ſatis Reip. conſultum erit, ſi gubernatio homini committatur, quem brutæ illæ uires ſæpe perturbant, atque à recta ſemita reuocant rationis, ſed menti puræ, ac motionum animi immuni id munus conferen-

Vnius principatus dānatur.

Mens hominis diuina.

dum est. Quamobrem diuino quodam consilio, cum alia ratione id fieri non posset, inuentis legibus hoc assecutum humanum genus uidetur, ut menti tantùm ac rationi nullis perturbationibus obnoxiæ, hoc regendi hominum cœtus officium demandatum sit: quod sanè deorum munus nescio an ullo inferius existimari debeat, si quis accuratè secum putet legum commoda. Primò nanq; in sanciendis legibus plurimi sapientes uiri conueniunt, qui multarum rerum experientia edocti, inuentis aliorum exemplisq; ueterum collatis, tandem post diuturnam consultationem decernunt id quod optimum uisum fuerit: neque odio tunc, aut amicitia, aliáue animi perturbatione à ueritate deduci queunt, cum nullius priuati causa agatur in legibus constituendis, quemadmodum in forensibus iudicijs semper accidit. Post uerò leges sancitas, si quis contra eas fecisse deprehendatur, easq; pœnas dederit quas leges iusserint iure nullum odio habere poterit: proindéque metuendum non erit, nequa seditio aut simultas inter ciues contrahatur, maxima ac periculosissima rerum publicarum labes. Et contrà plerunq; cum iudicio hominũ, non ui legum quispiam plectitur, discordiæ inimicitiæq; graues proueniunt. Nam impossibile propè est quin malè affecti in eum simus qui nobis detrimentum attulerit. Quo fit ut nesciam an à natura omnium parente hominum generi maius quippiam concessum fuerit hac legum inuentione, quæ etiam iure dijs immortalibus fuit ab antiquitate consecrata. Quin, quod magis mirum uidea-

Legum sanctio.

Simultas, rerum publicarũ labes.

tur, Aristoteles philosophorum facilè princeps, in eo libello quem de mundo ad Alexandrum regem Macedonum scripsit, nihil aliud reperit cui similem deum optimum faceret, præter antiquam legem in ciuitate rectè instituta: ut id propemodum tam magni philosophi sententia sit deus in hac rerum uniuersitate, quod antiqua lex in ciuili societate. Ac in libris in quibus de Repub. tractat, legem inquit esse mentem sine appetitu. ac si diceret mentem puram, lucidam, nullis affectuum morbis infectam. Ex quibus effici illud, quod superius diximus maximè opportunum atque optimum eße, quilibet perspiciat homo etiam tardioris ingenij, ut scilicet diuinius quippiã homine, cœtus hominum moderetur ac regat. Quòd si huic gubernationis muneri præficiatur homo, cum rari admodũ sint & prudentia & probitate prædıti, ijq; plerunque ob affectuum animi uim cum in iudicando errent, tum maximè à recta animi sententia dimoueantur, nõ sine turbatione magna ingentiq; periculo res processura est. Quod etiam si fieri posset, ut hominem inueniremus adeò sapientem atque probum, atque adeò tenacem propositi, ut nulla animi perturbatione ab officio reuocaretur, utique neque hac conditione optandus eßet pro legum principatu hominis dominatus, qui mortali fragiliq; natura præditus, diutius nequiret eo munere fungi, cum leges æternitatem (ut ita dixerim) æquare posßint. Ex his iã persuasum esse reor, summã imperij cõmendandã legibus esse, non homini: qui paucißima uero, quandò legibus omnia cõprehen-

Aristoteles deum similẽ antiquæ legi facit.

Lex, mens sine appetitu

Aeternæ leges.

di nequeunt, hominis arbitrio permittenda. Verùm necesse est ut custos quispiam, ac ueluti uicarius & minister legibus constituatur, qui pro legis imperio Rempub. regat: et quoniam nequeunt legibus comprehendi quæcunque tum in iudicium ueniunt, tum quæ consultanda sunt, arbiter sit huiuscemodi omnium. Rursusq; eadem controuersia redit, quæ ex legum sanctione soluta esse alicui uideri potuisset: an scilicet unus melius, an pauci, an potius multitudo tuendis legibus, & his diiudicandis ad quæ satis esse leges non possunt, præferenda sit. Ac quanuis multorum sententia regius dominatus habeatur alijs præstantior, tamen crediderim ego, tametsi unius principatus, (qui ueré regiam dignitatem ac iure merito uendicaret sibi) si res per se consideretur, optimus omnium est, nihilominus propter mutabile ac sæpius in deteriorem partem labile ingenium hominis, ac uitæ breuitatem, optimum omnium statum minimè esse sub regio principatu, sed multitudinis gubernationem magis conuenire ciuili societati: quod experientia rerum omnium magistra luculenter docet. Nam nullum regium principatum apud ueteres extitisse unquam legimus, neq; nostra tempestate conspicimus, qui non breui in tyrannidem lapsus fuerit: cōtrà plurimas Resp. multis seculis perdurasse, ac pace & bello floruisse. Ac equidē multitudo omnis est per se inepta gubernationi, nisi in unū quodammodo coalescat: quandoquidem neque esse ulla multitudo queat, nisi unitate aliqua contineatur. Qua de re ciuilis quoque societas dissipabitur, quæ

Vnus, an pauci an multitudo legum ministra cō stituenda.

Regius principatus facile in tyrannidem labitur.

Multitudo imperio inepta.

quæ unitatē quadam constat, nisi quapiam ratione multitudo unum efficiatur. Quo fit ut præclarissimi philosophi qui de Reipu. institutione præclarè accurateq; scripserunt, temperandam Remp. censeant ex optimatium & populari statu, eo adhibito temperamento, ut incommoda utriusque gubernationis uitentur, commoda uerò comparentur. Quocirca Rēp. Lacedæmoniorum summopere laudant, in qua Reges, Ephori, & Senatus effecerint mixtionem quandam, ut bene dignosci nequeat sub quanam gubernationis specie fuerit ea Resp. collocanda. Id tamen reprehendunt, quòd dūtaxat ad belli munera instituta fuerit, nulla interim habita ratione officiorum pacis atq; ocij: indéque effectum esse, ut quāprimum Lacedæmonij in ocio esse cœperunt, Resp. illa insignis in deterius labi cœperit. Quod Romanis quoque eadem propè causa accidisse compertum est, nec euenturum latuit præcipuos Romanorum senatores: in quibus Nasica censuit Carthaginem tametsi Romani nominis æmulam, quin potius inimicam sempiternam, minimè diruendam esse, ut semper Romanus hostem haberet, cum quo agendum armis esset: ne inimico atque æmulo sublato Respublica ea instituta ad bellum, iuuentusq; in armis educata, in sese arma conuerteret, seq; ipsa conficeret. Quod Nasicæ consilium, quamuis tunc à senatu repudiatum fuerit, contraq; eius sententiam decretum, rerum tamen ipsarum euentus prudentissimum fuisse ostendit. Nam euersa Carthagine continuò ferè ciuilia bella exarsere, quibus tandem florentissima ac potentissima omniū

Aristocratia Democratia

Lacædemonū Resp. cōstabat regibus, Ephoris, & Senatu.

Lacedęmoniorū Resp. ocio fracta.

Scipionis sētentia de nō euertenda Carthagine.

Euersa Carthagine Romana Resp. concidit.

quæ unquam fuerint Resp. concidit, ac demum in Barbarorum prædam cessit opulentissima seu potius rerum domina ciuitas. Sed ut aliquãdo ad institutũ opus ueniamus, maiores nostri, qui Venetam Remp. instituerunt, mira quadam sapientia atque egregia probitate præditi extitere, à quibus nihil prætermissum sit quod facere uideri potuerit ad rectam Reip. institutionem. Primùm nanque ad usum muneráque uirtutis instituère omnem uitam, functionémque omnem suorum ciuium: sempérq; eis fuere potiora studia pacis, quàm belli. Et in eam curam potissimùm incubuere, ne qua ratione concordia ciuilis solui posset: non neglectis interea officijs bellicis, ijs inquam quæ nostræ ciuitati maximè conuenirent. Nam is est urbis situs, qui ualde idoneus sit maritimæ militiæ, terrestri uerò satis ineptus. Neque enim huic urbi aliquo pacto accommodari queunt aut equitum turmæ, aut acies peditum: ut ex ijs quæ suprà diximus de urbis situ accuratè à nobis descriptæ, perspicuè conijci potest. Enimuero hac in re temperiem adhibuere, eámque mixtionem omnium statuum qui recti sunt, ut hæc una Respublica & regium principatum, & optimatium gubernationem, & ciuile item regimen referat, adeò ut omnium formas pari quodam libramento commiscuisse uideatur. quod clarè liquebit processu operis. Verùm ut tãdem Reip. Venetæ institutionem aggrediamur: Illud apud quod summa est authoritas totius ciuitatis, & ex cuius decretis ac legibus pendet tum senatus, tum etiam omnium magistratuum authoritas, Consilium il-

Venetiarum situs maritimæ pugnę aptus, terrestri nequaquam.

Veneta Resp. tres rerumpub. formas complexa.

Consilium nobilium.

lud est, in quo nobiles omnes ciues conueniunt, qui annum uigesimum quintum excessere: at plerique alij qui nondum id ætatis habeant, cum tamen annum uigesimum peregerint, hoc uerò ius adipiscuntur beneficio sortis. de cuius rei uniuersa ratione inferius dicemus. Nunc à nobis eius ratio est explicanda, probè à maioribus nostris cautum fuisse ne plebs admitteretur ad conuentum hunc ciuium, in quo est summa potestas Reipub. Deinde non minore prudentia factã fuiße ciuium hanc definitionem generis nobilitate potius, quàm facultatum censu, quemadmodum fieri consueuerat in priscis rebuspublicis, ac plerique ueteres philosophi præcipiunt esse faciendum. Ciuitas nanq; ciuium societas est. Nec tamen omnes ij homines quibus indiget ciuitas, ac qui intra urbis mœnia habitãt, sunt habẽdi pro ciuibus, neque iure in ciuium numero sunt collocandi. Opificibus enim cuiuis ciuitati ẽ opus, necnõ plurimis mercenarijs qui operam locant, ac priuatis demum seruis. At nullus horũ ciuis uerè dici potest. Nam ciuis liber est homo: hi uerò omnes seruitutẽ seruiunt, uel priuatam, uel publicam. Mercenarij nãq; ac opifices omnes ueluti serui publici haberi debent. Etenim non dissimili modo à natura constitutum fuisse animal putandum est, ac ciuitatem ab hominibus constitui oportere. In animãte uerò multæ sũt partes quæ animatæ non sunt, illis tamen indiget animal ut uiuat. Sic in ciuiũ cœtu multis hominibus est opus, qui tñ minimè partes ciuitatis aut esse aut haberi debeãt, nec in ciuium numero collocari. Quamobrem sapiẽter à ma-

Qui conueniant in cõsilium.

Quare plebs non admitti tur in consilio.

Qui in numero ciuiũ sint habẽdi.

Collatio animantis & ciuitatis.

ioribus nostris cautum est, ne uniuersus populus summam potestatem habeat in hac rep. quam longè optimam esse uoluerunt. Summa nanque turbatio, populares que tumultus frequenter concitantur in illis ciuitatibus in quibus summa rerum est apud populū. quod etiam à quibusdam rebuspublicis obseruatum fuisse legimus, & à nõnullis philosophis præceptum. Hoc tamen rectè se assequi posse arbitrati sunt, si ius hoc administrandæ reip. definiretur censu, atque copia rei familiaris: uerùm in maximas difficultates, nec mediocria incommoda incidere. Nam frequenter euenit ut infimæ plebis homines comparent sibi ingentes facultates: quippe qui plerunque sordidis artibus, ac officijs minimè liberalibus dant operam augendæ rei, neq; unquã sibi parcunt, quin potius genium fraudant, ut opes adipiscantur. Cõtrà ingenui ciues, ac liberaliter educati pauperes fiunt, seu aduersa fortuna, ut frequẽter, seu quòd liberalibus studijs addicti, uniuersam hãc rei familiaris augendæ operam negligunt. Qua ratione fit ut sordidi homines, qui nihil aliud sapiũt quàm lucrum, bonarum uerò artiũ expertes sunt, paulatim rempublicam capessant: ingenui uerò, ac liberaliter educati, opibus sensim deficientibus à iure ciuium decidant: unde maximas seditiones oriri, ac rempublicam turbari necessum est. Ideoq; maiores nostri sapientissimi homines, ne sua resp. quandoque incideret in has difficultates, seu potius calamitates, definitionem hanc publici iuris generis nobilitate longè melius fieri censuerunt, quàm magnitudine census, ea tamẽ tempera-

Ciues nõ facultate; sed nobilitate cẽsentur.

tione, ne tantùm ſupremæ nobilitatis ciues hoc ius haberent (illud enim paucorum potentiæ fuiſſet, non reipublicæ) ſed etiam quicunque alij ciues non ignobiles. Itaque omnes qui aut genere nobiles extitere, aut uirtute inſignes, ac de republica bene meriti, principio ius hoc regendæ ciuitatis adepti ſunt. Quòd ſi poſt eum primum conuentum quipiam nobiles fuere qui rẽpublicam auxerint tum opibus, tum ſtrenuis geſtis, nimirum illis omnibus par ius adminiſtrandæ reipublicæ conceſſum fuit. Id quod temporibus etiam noſtris uidimus. Nam nonnulli in hunc numerum ciuium adſciti ſunt etiam aduenæ externiq; homines, uel ob eam cauſam, quòd nobiliſsimi, uel quòd officioſi erga rempub. fuerint, eámque inſigni quopiam facinore boneſtarint. Vniuerſus ergo hic ciuium conuentus, ſeu ſi magis libeat, ut moris eſt, magnum hoc conſilium appellare, penes quod ius eſt ſummum totius Reipublicæ, atque à quo pendet ſenatus, ac magiſtratuum omnium authoritas in hac republica, uicem refert popularis ſtatus. Dux uerò, qui præfinitum tempus imperandi non habeat, ſed præſideat dũ uixerit, præ ſe fert regiam poteſtatem, præſertim cum habeat ſpeciem regiam, ac grauitatem dignitatemq; regis ſeruet. Reliqui uerò ciues regia ueneratione ducem proſequuntur, ac omnia decreta, legesq;, tum etiã literæ publicæ ſub ducis nomine prodeũt. At ſenatus, decẽuiri, ſeniorumq; ſiue præconſultorum collegium, qui uulgò ſapientes dici ſolent apud nos, eorum inquam qui præconſulunt, ac de Rep. referunt ad Senatum, oſtendunt


Nobiliũ nomine qui intelligantur.

Aſciſcuntur etiã in ciuiũ numerũ externi homines.

Magnũ conſilium refert democratiã.

Dux regiã poteſtatem præ ſe fert.

Senatus, decemuiri, ſeniorũq; collegium, ariſtocratiã referunt.



quandam ſpeciem optimatium. Quæ cũ ſint præcipuæ huius reip. partes, de his primò ſigillatim à nobis dicendum eſt, deinde ad inferiores magiſtratus deſcẽdendum. Initiũ uerò ſumatur à maiori conſilio, à quo pẽdet uniuerſa reſp. Omnes patricij ordinis iuuenes, qui uigeſimũ annum exegere, ad magiſtratum accedũt, cui præcipuè legum tutela eſt demandata. Magiſtratus hic uulgò aduocatorius nuncupatur. Corã hoc magiſtratu conſtituti cum patre, aut matre ſi patre deceſſerit, aut proximiore cognato generis ſi fuerint utroq; parẽte orbati, adhibitis duobus teſtibus honeſtis uiris, probãt ſeſe natos eſſe ex eo parẽte quem patrem profitentur, nõ ſpurios, ſed matrimonio legibus ſtatuto, ac ex matre honeſta muliere. Teſtes uerò in hæc uerba iurant, ſibi id compertum eſſe ex omnium quotquot nouere atteſtatione, atque ex omnium aſſenſu. Deinde pater, ſeu mater, uel conſanguineus genere proximus, ſi fuerit iuuenis is utroq; parente orbatus, iureiurãdo aßerit eum adoleſcentem uiginti annos exceßiſſe. Quæ cũ fuerint rite à Scriba magiſtratus illius in publicum codicem relata, diem quartam Decembris menſis opperiũtur, ac ea die omnium horum adoleſcentium nomina, qui nondum ſortis beneficio ius ciuis adepti ſunt, nec uigeſimum quintum annum exceſſerunt, conijciuntur in urnã, atque ad principem deferuntur: ubiq; corã cõſiliarijs ea urna conſtituitur, penes quam eſt altera, in qua tot ſunt pilulæ, ſeu globuli, quot in priori fuerint nomina ſyngraphis ſuis quæq; notata. Pilularum quinta pars aurea eſt, reliquæ omnes argẽteæ: Extra-

Patricij iuuenes ãnum 20. excedentes quõ in cõſilium magnum recipiantur.

Aduocatorius magiſtratus.

Qui in conſiliũ admitti uult, quid ꝓbare debeat.

Die. 4. Decembris patriciorum iuuenum nomina in urnam conijciuntur.

Quinta pars

bit princeps ex priori urna syngrapham, ac statim de inceps ex altera urna pilulã: quæ si fuerit aurea, iuuenis is cuius nomen exierat, cõfestim ius habet publicæ potestatis, et in maius consiliũ admittitur. sin argẽtea, sorte decidit, et in sequentis anni sortẽ opperitur, nisi eo tẽporis spatio uiginti quinq; annos exegerit. Nam quicunq; patricius ad id ætatis peruenerit, cõtinuò ius habet ciuis, publicæq; potestatis est particeps. Hac igitur ratione, quinta pars candidatorũ iuuenũ quoq; anno recipitur ad ius suffragij ferendi cum alijs ciuibus. Quod si accidat ut cuiuspiã patricij pater atque auus, uel propterea quòd absentes fuerint, uel ob aliam causam nunquã iure hoc suffragij ferẽdi sit usus, eorúmq; nomina nunquã fuerint relata in publicos codices, in quibus patriciorum omniũ nomina sunt descripta: nequa fraus confici poßit, néue quispiam degener furtim obrepat in hunc cœtum nobilitatis, noluerũt arbitrio tantùm magistratus aduocatorij eam rem constitui ac decerni, sed lege cautum est, ut hi referentibus aduocatoribus ad quadraginta uiros, agnationem patriciam probent & testibus, et scriptis publicis: sicq; causa cognita disceptantibus quadraginta uiris decernitur an ad ordinem patricium admittendus sit. Ne autem quispiam impune tentare huiusmodi iudicium audeat, itidem decretum est, ut quicunque referri de nobilitate sua uoluerit ad eos iudices, prius ad magistratum adferat quingentos numos aureos, qui in ærariũ referuntur si causa ille deciderit. Ea fuit maiorum nostrorum diligentia, nequa labe nobilium hic cœtus

pilulaрũ aurea est, ut quinta pars tantum candidatorum unoquoq; anno recipiatur.

In cõsilium recipitur qui 25. annum attigit, aut sortis beneficio.

Apud quadraginta uiros patricia agnatio probatur.

inficeretur. Qua de causa etiam illi ciues qui uigesimum quintum annum excesserint, non prius adipiscuntur ius suffragij ferendi, quàm coram aduocatoribus constituti iureiurando patris, aut matris, aut proximioris consanguinei probauerint se ad id ætatis deuenisse, ac item duobus testibus se ex eo patricio genitum, quem parentem profitentur, non spurium, nec matre pudenda. Postquam omnis ferè ratio à nobis exposita est qua ciuibus aditus fiat ad ius publicæ potestatis, illud animaduertendum existimo, maiores nostros sensisse plurimum ad amicitiam & unionem ciuium conciliandam ac conseruandam conferre, si sæpius in unum conuenirent. Quare ueteri consuetudine mos ille inoleuit, ut octauo ferè quoque die, ac etiā interdum frequentius, consilium magnum cogeretur. Huius præcipuum munus est, ut creet omnes magistratus, tum eos qui in urbe ius dicunt, ac alijs reip. muneribus funguntur, senatum quoque, & decēuiros, tum etiam Prætores, Præfectos, Quæstorésque oppidorum atque urbium quæ in societatem Veneti imperij sunt adscitæ, necnō custodes arcium, Claßis imperatorem, Legatos, item claßis triremium præsides, ac demum, ut uno uerbo expediam, quoscunque qui uel domi uel foris ius habeant publicæ potestatis. Leges itē omnes quæ ad constitutionem reipub. pertinent, huius consilij authoritate sanciuntur. Quod præcipuæ fieri consueuit tempore interregni, cum scilicet mortuo duce nondum alius ei suffectus sit. sed inferius de interregno. Nunc omnis comitiorum habendorum ratio à no

Octauo quoque die consilium magnum cogitur.

In consilio magno quæ peragantur.

Interregni tempore cōsilij magni authoritate leges sanciūtur.

Comitiorū ratio.

bis exponetur. Circa meridiem quibusq; ferè diebus festis consilium hoc agitur sub amplo spatiosoq; tecto, quod liceat appellare comitium. In eo decem sunt sedilia longißima, utpote quæ longitudinem comitij penè æquent. Ciues omnes, ut quisque eò loci peruenit, sessum eunt, ut cuique libuerit. nulli nanque statutus est locus in comitio, præterquam quibusdam magistratibus qui comitijs præsunt. hi uerò sunt, dux, consiliarij, ac quadraginta uirorum præsides tres, qui in elatiori suggestu sedent: atque hi soli ius habent referendi ad magnum consilium. Post hos in medijs ferè subsellijs, quæ paulò elatiora sunt, ad parietes comitij posita, certis statutisque sedibus aduocatores sedent, trésque decemuirûm præsides. Ac demum quàlongißimè à suggestu ducis sunt subsellia auditorum ueterum, & recentium. de quibus omnibus magistratibus à nobis infrà dicetur. Cæteri uerò ciues omnes ut dicebam, promiscuè sedent pro animi arbitrio. Statuta deinde hora fores comitij clauduntur, ac claues deferuntur ad suggestum principis, ibique ad eius pedes locantur. tunc Scriba primus, qui honos est plebeius quidem, non patriciorum, maximæ tamen dignitatis, assurgit, atque elatiore loco constitutus, uoce magna pronunciat magistratus quorum sint ea die comitia habenda. pronunciatis magistratibus, continuò pòst quàm ex eo loco descenderit, confert se ad suggestum in quo est princeps, ac alta uoce citat magistratus. Præsides comitiorum, quos suprà memorauimus, ut ad principem & ad consiliarios accedant iußi, confestim accedunt,

Quorũ magistratuum statuti in comitio loci.

Scriba primus.

ibiq; iureiurando interposito pollicentur se operam daturos, ut leges comitiorum seruentur, pronunciaturosq; ciuem eum qui contra decreta aliquid egerit, ac pœna legibus constituta punituros. His peractis, ad sua quisq; loca reuertitur, præter unum ex aduocatoribus, ac unum ex præfectis decemuirûm, qui ad extremam partem atrij sese conferunt, aduersam suggestui principis, ibiq; destinatis sedibus consident: reliqui uerò aduocatores certis sedibus ĩ dextro latere comitij, duo uerò reliqut præsides decemuirûm sinistro latere è regione aduocatorũ se item locant. Consimili ratione auditores ueteres ac recẽtes extremo loco comitij, quem diximus lõgissimè distare à suggestu principis, oppositis lateribus consident, dextro inquam, ac sinistro, ut huiusmodi magistratuum cõsensu, uniuerso cõsilio ciuium omni ex parte appositi custodes esse uideantur, ne quis impune queat agere quippiam cõtra leges & decreta comitiorum. Magistratibus hũc in modũ dispositis, tres urnæ statuuntur iuxta principis suggestum, in quibus cõduntur globuli argentei, aureiq;, hoc modo dispositæ, ut in medio suggestu sit una, ex utroq; latere itidem una, in quarum vtraq; triginta tãtùm sunt globuli aurei, innumeri uerò argentei. Ast in media urna sexaginta tantùm globuli cõduntur, quorum triginta sex aurei, argentei uiginti quatuor: ac aurei omnes globuli inscripti sunt certis literarũ notis, quas singulis comitijs sorte educunt, ne qua posset fraus subesse. Locatis urnis tres consiliarij cæteris iuniores è suis sedibus surgunt, ac in extremam partem

Vrnæ tres.

Consiliarij tres iuniores

ſuggeſtus iuxta eas urnas ſeſſum eunt, ea ratione, ut ſinguli ſingulis conſiliarijs aßideant. His ita actis & diſpoſitis ſortes ducũtur: ac is ordo ciuium cuius ſors exierit, conſurgit ex utroque latere comitij. Per atrium nanque quàm longum eſt, diſpoſiti ſunt decem ordines ſedilium, in quibus pro cuiuſque arbitrio ſuprà diximus ciues cõſidere: ac una tantùm ſors duobus ordinibus inſeruit, ijs ſcilicet qui ex utroque latere comitij ſibi reſpondent. Is ergo ordo cuius ſors exierit, magna præconis uoce citatur. Itaq; ex utroque latere comitij eo etiam initio quod ſorti libuerit, conſurgitur, ciuéſque eo quo ſederint ordine, ſe conferunt ad eas urnas, quibus iuxta ſuggeſtum principis conſtitutis conſiliarij adſident: ac manu impoſita quiſque globulum unum educit: qui ſi argenteus fuerit, diuerſo itinere reuertitur ad ſedile unde ſurrexerat. At qui aureum eduxerit, confeſtim conſiliario qui urnæ illi præeſt, conſpiciendum tradit. ille diligenter notam recognoſcit. Illa notæ inſcriptio ea ratione eſt inuenta, ne quiſquam domo afferre ſecum poſsit aureum globulum, quem manu furtim impoſitum uideretur ex urna eduxiſſe, ac ita per fraudem elector fieret. Is ergo cui ſors aurei obtigerit, continuò ad mediam urnam ſe confert, indeque aliam pilulam, ſeu malueris globulum dicere, extrahit: qui ſi argenteus fuerit, impos uoti reuertitur ad ſuum ordinem. ſin uerò aureus ſit, ſuggeſtum aſcendit, ac è regione principis deſtinato loco ſeſſum it. Secundus qui eadem ſorte uſus fuerit, eodem etiam ſe recipit, ac item tertius ſicque

Tribus urnis aſsident.

Sortes ducũtur.

Quæ cauſa inſcriptionis globulorũ.

Electores numero noue. *deinceps quousque fuerint nouem, qui primum electorum ordinem complent: ac ita eo in ordine disponuntur, ut solius ætatis ratio habeatur, præterea nullius rei.* Hoc loco *institutum illud minimè prætereundum est, illos qui sortis beneficio facti sint electores, statim alta uoce pronuntiari à scriba solere, adeò ut omnes audiant: neque amplius facultatem ullam esse cuipiam eius consanguineo aut affini arcta necessitudine coniuncto tentandi sortem qua fieri queat elector. Neq; etiam pluribus quàm duobus gentilibus aditus patet ad ordines electorum. quod summa prudentia maiores nostri instituère, ut scilicet ad plures agnationes ac familias hoc munus eligendi perueniat, ac publicum hoc beneficium latius pateat inter ciues. Satis nanq; haberi debet, si ex una familia duobus sors contingat, qua authoritatis publicæ compotes efficiantur. Sed eò reuertatur oratio, unde diuertit.*

Electorum ordo primus *Primus hic ordo electorius, euestigio ut cōpletus fuerit, è comitio egreditur, simulque nouem illi se recipiunt in certum conclaue. Hic scriba unus à secretis Reip. adest: primum electoribus nunciat ea quæ legibus præscripta sunt, ac seruari debeant in magistratibus eligendis. Leguntur item senatusconsulta, quibus cauetur ne pecunia corrupti electores, seu quapiam mala arte & fraude, eligant, uel, ut rectius dicam, nuncupent eos qui competitores futuri sint, ac iudicio consilij proponendi. Disponuntur deinde nouem illi electores prout cuiusque ætas fuerit, seniores scilicet digniori loco, ac priori sede. nullū nanque aliud discrimen, nisi ætatis, inter*

Aetatis soli-

ciues Veneti esse uolunt, quod seditionis nullius aut simultatis causa unquam fuerit, neque à summis philosophis, Aristotele inquã in Politicis, & Xenophonte in Cyri Persarum regis institutione, opere longè celeberrimo, est prætermissum. Electoribus eo ordine dispositis, nouem item globuli in urnam conijciuntur, numeris quisque notatis ab uno ad nouenarium. In pagina uerò paulùm longiore inscripti sunt magistratus quorum habentur comitia, suo ordine. Maximus natu electorum ex urna sortem educit. numerus sorti inscriptus inspicitur, ac quotus fuerit is numerus. In eo etiã magistratu qui in pagina ea fuerit descriptus, pronunciandi quem uoluerit ciuem ius habet. Idẽ contingit secundo, ac item tertio, ac deinceps omnibus, ut scilicet ducta sorte, quisque electorum priuati ac proprij magistratus, beneficio ac arbitrio sortis, fit pronunciator effectus. Postmodum is cui primi magistratus sors contigerit, eum ciuem pronunciat quem uoluerit. Itur in suffragia ab electoribus nouem. Si sex suffragia uel plura tulerit electus, ab eo electorum ordine in eo magistratu renunciatur, ac nomen eius in pagina ea oblonga in qua magistratus omnes quorum habentur comitia, sunt inscripti, ab uno electorũ subscribitur notæ primi magistratus. Quòd si pauciora quàm sex suffragia tulerit, quod rarißimè euenit, iterum alius ab eodem electore proponitur, ac eadem ratione res deinde peragitur, ac sic deinceps quousque aliquis proponatur qui approbetur iudicio sex electorum. Idem eligendi modus in secundo, tertio, omnibúsque

us ratio habetur & quare.

Electorum nouẽ singuli singulos magistratus nõcupant.

Sex electorum suffragia nuncupato necessaria

que alijs deinde, quo ad ille electorum ordo in singulos magistratus singulos ciues elegerit. Interim uerò *dum hæc in conclaui aguntur, non intermittunt ciues reliqui in comitio inceptum ordinem sortium, sed ad urnas se conferunt, prout cuique ordini sors contigit.* Deinde *globulos educunt, donec nouem alij sortem utranque auream ex urna extraxerint.* Hi *complent secundum electorum ordinem, qui habita ratione ætatis & ipsi in conclaue destinatum seorsum secedunt.* Ibi *adest alius scriba à secretis, qui ratione in nullo dispari à priori, tum decreta ac senatusconsulta quæ seruanda illis sunt, palàm recitat, tum suo quemq; loco collocat, paginamq; defert eisdem magistratibus, eademq; serie qua prior illa quam diximus suprà in conclaue primi ordinis electorum delatam fuisse.* Itidem *sortes ab electoribus educuntur, ut quisq; scilicet suam educat.* A *singulis pronunciantur ciues singuli in magistratibus quorum comitia fiunt, prout cuiusq; electoris sors tulerit: ac eodem fermè modo eligũtur.* Post *hos tertij nouem eadem ratione complentes tertium ordinem, in priuatum quoq; conclaue secedunt, in quo eadem ad amußim seruantur. Sic etiam quarti nouem in suum: atque hoc pacto explent numerum triginta & sex ciuium. totidem nanque fuerant aurei globuli in urna media, medio scilicet suggestu constituta.* Quamobrem *& sexaginta quibus primis in urnis aureæ sexaginta pilulæ contigere, triginta sex electores fiunt, in quatuor classes distributi.* Argentei, *qui ex urna media eduxerint argenteos globulos, spe*

Electorũ ordo secũdus.

Tertius ordo electorũ.

Quartus ordo electorũ.

frustrati rediguntur in ordinem. Non me latet perquam arduum esse, minuta hæc à ueterum Romanorum usu longè remota literis illustrare, sed potius inepti culpam mihi censeo subeundam, quàm parum diligentis. Ideo quæcunque etiam minutiora accurratè sanè à nobis memorabuntur, adeò ut nihil desiderari amplius queat etiam ab homine diligenti. Nunc reuertamur, unde digressa est oratio. Cum ergo in quouis magistratu cuius habentur comitia, ea die à classibus quatuor electorum, quatuor item ciues electi sunt, à singulis inquam singuli, nisi fortè contingat unum aliquem à duobus aut tribus ordinibus electorum renunciari: quod interdum accidit: sed plerunque cuiusque magistratus quatuor competitores fiunt: in magistratibus tamen nonnullis paruæ dignitatis ac inferioris notæ duo tantùm fiunt competitores: duæ nanque priores electorum classes ius habent eligendi ac pronuntiandi competitores in illis magistratibus cum posteriores classes eo iure priuatæ sint: postquam competitores magistratuum omnium delecti fuerint ea quam supra exposuimus ratione, confestim electores dimittuntur. neque etenim suffragari possunt ea die cuipiam, nec etiam comitijs interesse: ac scriba magnus, qui honos, ut dixi, non est patricius, maximæ tamen est existimationis, in suggestu magna uoce pronuntiat competitores primi magistratus, ac sigillatim recitat quis à quo electorum ordine electus sit, necnon quo electorum authore in quoquam ordine unusquisque competitorum electus fuerit. Quo in loco illud nequaquam prætereundum existimo, legibus sancitum esse, ut elector ille quo Elector compe-

titoris fideiussor sit necesse est.

authore quisque competitorum pronunciatus ac electus sit, ueluti fideiussor eius habeatur: ut scilicet si contingat pronunciatum ciuem superatis competitoribus uoti compotem magistratum eum adipisci quem petebat, ac in eo magistratu quidpiam publicæ pecuniæ auerterit, ac dãnatus fuerit peculatus, nec sit soluendo: is elector quo authore pronunciatus est, in ærarios referatur. Alta igitur uoce à magno scriba pronunciatis competitoribus primi magistratus, cõtinuò pronunciati si adfuerint, cum gentilibus quisque suis ac maximè necessarijs cognatis è comitio egrediuntur, ac in conclaue destinatum se conferunt, ibique opperiuntur donec illius magistratus habeantur comitia. Post id item magnus scriba omnes admonet diuinis atque humanis legibus unumquẽque teneri ut ei suffragetur qui omniũ optimus, ac Reip. utilißimus fore uideatur. Deinde primum competitorem nominat, à primo scilicet electorum ordine electum, pro quo in suffragia eundum sit. Continuò iuuenes tot exurgunt, ut unicuique sedilium ordini bini inseruiant. Hi urnas quasdam manibus gestant miro artificio coagmẽtatas. exterior est uiridis, alba interior, unico fornice superius tectæ: in quem cum manum inieceris, liceat tibi in utram uolueris urnam suffragium demittere, cum tamen nullus etiam qui adsit, ac diligenter inspiciat, dignoscere queat in utram urnam suffragium siue calculum ieceris. Nec fabis suffragantur, sed pilulis quibusdam linteis, nequa ratione ex sono quem cadentes in urnam fabæ facturæ erant, dignosci poßit in

Vrnæ suffragiorũ cuiusmodi sint.

Pilulæ linteæ.

utram

utram urnam calculus sit iactus. Nam maiores nostri maximè Reip. interesse existimauere, si libera iudicia fierent. idcirco etiam summam operā dederunt, ut suffragia quamoccultissima essent. Iuuenes *ergo illi cum suis quisq; urnis inuicem coagmentatis ad sedile suum concedit, ac cuique civium eo quo sederunt ordine urnas offert. quisque ciuis palàm prius ostēso calculo manum in fornicem imponit, ac in utram uoluerit urnam eum demittit: si suffragari uelit, in albam interiorem. sin uerò refragari, in exteriorē uiridem. Simul in uno quoque sedilium hac ratione, atq; hoc quem diximus modo, in suffragia itur. Quo fit ut breui admodum tēporis spatio ab uniuerso conuentu ciuium suffragatū sit. Tunc urnæ deferuntur ad suggestū principis, ibiq; collecta suffragia effunduntur in duo uasa patula: ea uidelicet quæ fuerint in urnis albis, & quæ fauerint, in uas item candidum. at quæ in uiridibus urnis collecta sunt suffragia, itidem in uiride uas conijciūtur: deinde ad consiliarios numeranda deferūtur, inter quos medius sedet princeps. Cādidi uasis suffragia competitori fauentia, ab ijs cōsiliarijs numerantur qui dextro principis lateri adsidēt. At collecta in uase uiridi, quæ scilicet refragantur, ab his qui ad læuam principis sederint, recognoscuntur. Scribæ publici consiliarijs adstant: statimq; scriptis mandant numerata suffragia. Interea dū primi suffragia recensentur, eadem ferme ratione pro secundo in suffragia itur, qui a secunda electorum classe fuerit electus. Deferuntur itidem suffragia ad consiliarios. numerant illi, ac scribæ nume-*

Iouenes bini singulis sedilibus urnas gestantes.

Suffragia a consiliarijs numerātur.

rum scriptis mandant. Sic pro tertio, ac demum pro quarto, si tot fuerint competitores, in suffragia itur. Numeratis suffragijs omniũ, is qui plurima suffragia tulerit, dummodo dimidia excedant, pronunciatur electus à magno scriba, cum peractis omnium magistratuum comitijs consilium dimittendum est. Si autẽ eius magistratus competitorum nullus plura suffragia tulerit quàm sint dimidia omniũ, præteriti omnes hi habentur, differturq; electio ad altera comitia. Post primi magistratus comitia peracta, pronunciantur nomina electorum in secundo. Recedunt in conclaue competitores cum gentilibus ac cognatis. At illi qui conclusi erant, primorum scilicet competitorum gentiles ac cognati, in comitium redeunt. Eadem ratione in nullo dispari à priori, eodemq; ordine itur in suffragia pro secundi huiusce magistratus competitoribus, ac itẽ numerantur à consiliarijs: isq; electus habetur, qui suffragijs alios superauerit, dũ modo plura dimidijs sint. Sic pro tertio, item deinceps pro quarto. Hic demum in omnibus alijs magistratibus modus seruatur. Post completa comitia electorum nomina magna uoce pronunciantur à scriba magno, ac post id dimittitur consilium. Non tamen ultra Solis occasum protrahi comitia queunt. Quòd si ea Solis occasus interceperit, statim renunciantur qui ad eam horam fuerint electi. eorum qui restant, nulla ratio haberi potest. Itaque beneficio quod eis cum sors tum etiam electorum classes attulerant, spe frustrati, minimè frui queunt. Summa hoc ratione decretum fuit. Nam admodum facile esset,

Competitorum quis electus pronunciatur.

Dimittendi consilii tempus.

si res in noctem protraheretur, ne tam magna ciuium multitudo à magistratibus qui comitijs præfecti sunt, in officio contineri posset, quin tenebris fauētibus aliquid agerent contra leges. Idcirco maiores nostri sapientissimi uiri, qui eximia prudentia & animi solertia omnia prospexisse uidentur, statuêre ultra solis occasum comitia protrahi non posse, neq; ullo pacto lucernam aliquam in atrium illud inferri dum comitia habeantur. Hæc omnis comitiorum ratio: in qua minimè prætereūdum est, ita inter ciues magistratus distribui, ut tamen duo eiusdem gentis, aut etiam consanguinei maximè necessarij in eodem magistratu esse nō possint: quēadmodū neque ijsdem comitijs duo gētiles, aut agnati maximè necessarij, sortis beneficio electores esse queunt, ut suprà ostendimus. quod summa ratione statutum est, ut scilicet ius publicæ potestatis ad plures pertineat, non autem contrahatur ad paucos necessarios. Nam hi potestatem adepti facilè possēt aliquid moliri, ac Remp. turbare. Præterea cū plurimi expertes fuerint honorum, necesse etiam est ut ij plurimi eā Remp. oderint, ac rebus nouis studeant. Eam uerò Rempub. diutius consistere ferè impossibile est, quam multi ciuium nolunt. Adde quòd Reip. interest publicam potestatem ad plures pertinere: idq; æquissimum sit, ut consimiles inter se ciues, ex quibus Resp. constare solet, non dispares sint in honoribus consequendis. Paucorum uerò statum, quam Græci Oligarchian dicunt, facilè constituunt qui ius publicum contrahunt ad paucos necessarios. Quamobrem in Rep.

Veneta ita magistratus inter ciues distribuuntur, ut quoad fieri posſit, omnes familiæ omnesq; agnationes honorum ſint participes, ea tamen ratione, ut nō quiuis, ſed ij tantum uiri qui & probitate & prudentia excellunt, Remp. adminiſtrent, ac muneribus publicis fungantur. Prior illa inſtitutio populare quiddam ſapit, altera uerò optimatium gubernationem. Quare luce clarius intueri licet omnes rectas gubernationes quarumuis ciuitatum in hac una Repub. commixtas eſſe. Nam quanuis hoc magnum conſilium ſpeciem quandam referat popularis ſtatus, nihilominus in eo etiam perſpicitur commixta eſſe ratio optimatium gubernationis cum populari. Nam ſorte eligi magiſtratus populare eſt. In eo etenim ſtatu ciuitatis iuſtum atque æquum æqualitate arithmetica metiuntur, ac reputāt, cum unuſquiſque populi unus ſit ciuis, & liber, ac paribus paria debeantur, unumquemque ex populo pari iure ac cōmodo frui debere in rep. ut magiſtratus conſequi posſit. Et cum omnes ſimul nequeant imperare, ſed per uices, exiſtimant æquum eſſe hanc definitionē inter ciues ſorte fieri debere, ut hi imperent, quibus ſors fauerit. Et contrà in paucorū potētia, quæ aberrat à rep. optimatiū, æquum arbitratur, cū imparibus īparia debeātur, diuitéſque ſuperent alios ciues copia rei familiaris, eis quoque ſupremos honores deberi. In qua exiſtimatione utrique longè à uera ratione recedunt, licet ueriſimili nitantur. Nam quod inquiunt paribus paria, aut paribus imparia deberi, rectè ſtatuūt. In eo uerò quòd paritatem priores numero tātùm, ac

posteriores imparitatem solùm diuitijs metiantur, nimirum utrique egregiè falluntur. Etenim qui numero pares sunt, non omnino pares: & qui diuitijs impares, non omnino impares censendi sunt, sed aliqua tātùm ratione impares. Verùm cū ciuilis societas ad bene uiuendum sit instituta, uirtus sola discrimē hoc efficit. His ergo qui uirtute præstant, tanquam imparibus ac potioribus supremi etiam honores in rep. debentur: æqualibus uerò uirtute ac ciuili industria, æquales etiam honores. Hic modus, hæc norma optimatium est. Sicuti ergo populare est uti sorte in electoribus constituendis, ita est optimatium, ut is qui uirtute præstare iudicio consilij existimatus fuerit, potior habeatur: ac reliqui repulsam ferant, qui indigniores habiti fuerint. Qua ex re facilè perspici reor in hac comitiorum habendorum ratione commixtam esse cum populari specie optimatium formam, eo tamen temperamento, ut id quod est optimatium, superet popularē rationem. Nam sors in electoribus tantùm constituendis dominatur, cuius potestatis nequam etiam homines sine reipublicæ detrimento compotes esse queūt, párque ius habere cum optimis ciuibus. At in adipiscendis honoribus nil sortis est, totū in electione et existimatione positū ciuiū. Quo in loco nō reor mihi omittendum esse illud institutum in comitijs magistratuū, qui exigunt uiros præcipua quadam probitate ac solertia præditos, quatuor ordinibus electorum quos superius memini, senatum uelut quintum ordinem explere. Nam dum ordines illi in cōclauibus ad hoc munus

Senatus quatuor ordinibus quintus additur.

destinatis eos pronunciant quos uoluerint competitores, si fiant comitia cuiuspiam horum quos dixi magistratuum, cogitur senatus in minus atrium, ibiq; unicuiq; senatori licet eum quem uoluerit incertis illis magistratibus nominare, pro quibus in suffragia itur. At is qui plura tulerit, pronunciatur electus senatus scrutinio fitq; quintus competitor. Quamobrem euidentissimum est præstantiorem esse in nostra republica legem reipublicæ optimatium ea quæ est popularis status. Cæterùm huiusmodi comitiorum modus ac ratio satis diligenter hactenus à nobis exposita est. Accedamus ad eam reipublicæ partem, quæ ueluti ĩ fidibus ad constituendam διὰ πασῶν consonantiam uox grauis acutæ proportione quadam respondet. sic etiã specie quadam regia populari parti respondeat, ac demũ in unum concentum optimæ reipublicæ iniectis medijs magistratibus coalescat.

DE MAGISTRATIB. ET REP. VENETORVM LIB. II.



VLlus est qui ignoret principẽ in urbem Veneta personam regis, ac speciẽ regiæ gubernatiõis præ se ferre. Ideò nõ absq; ratione postquã is à nobis cõuentus ciuiũ est descriptus, qui populi formã habeat, etsi non satis ꝓ rei ipsius dignitate pro tenuitate tamen nostra nõ indiligenter, nũc à nobis aggrediendum est qua ratione

adducti maiores nostri optimi atque sapientissimi homines principem unum reip. præesse uoluerint: necnō etiam dicendum quibus tēporibus, ac qualis fuerit origo principis huius præficiendi. Neminem puto latere, id quod à nobis sæpius hoc opusculo est repetendum, ciuitatem ciuilem quandam societatem esse, quæ per se sufficiat ad bene beateque uiuendum. Omnem uerò societatem unitate quadam contineri quis ambigat, contrà autem distractione dissolui? Quo effectum est, ut discordia ciuilique dißidio maximæ ac opulentissimæ ciuitates corruerint, funditúsque euersæ sint. Vnitas uerò cōmode contineri non potest, nisi ab uno, qui multitudini ciuium, ac uniuersis magistratibus, quibus priuatæ quædam functiones demandatæ sint, præsit, atq; multitudinem quodammodo diffluentem colligat, ac in unum conciliet. quod philosophi summi, ac præcipui rerum naturæ indagatores, cum in uniuersi totius constitutione, tum etiam in microcosmo hoc, id est in animali animaduertêre. Nam prospexerunt in hac rerum uniuersitate multos ac difformes, prout scilicet uniuscuiusque natura fert, motus, ab uno, cælesti inquam ac æterno contineri: omnes etiam causas ab una prima rerum omnium causa. Demum in animali plurima ac longè diuersa membra, quorum functiones uariæ difforméśque sint, una tamen anima, & unico membro, corde inquam, comprehendi, atque in unitatem quandam colligi. Pari propemodum ratione, ni multitudo ciuium ita fuerit legibus instituta, ut unūquempiam præsidem uelit, cui bonum commune omnium,

Princeps unus in rep. Veneta.

Ciuitas quid.

Discordia resp. corruunt.

Homo microcosmus.

Prima causa.

ac unionis ciuilis conseruandæ cura præcipuè incumbat, quo uniuscuiusque ciuis tum priuati tū magistratu fungentis actiones tanquam ad ultimum & præcipuum finem referri debent, nimirum diutius nō potest conseruari, sed in diuersas partes distracta intercidet. Quod ut nullius ciuis culpa aut iniuria cōtingat, equidem ex singulorum sedulitate circa proprium priuatúmq; munus, accidere necessarium erit, cum commune bonum nulli præcipuè sit demandatum. Cape rei frumentariæ præfectos. hi potissimùm in hanc curam incumbent, ut eorū opera magna frumēti copia ex omnibus partibus inuehatur in urbem, ac tritici annona sit uilis, at hoc fortasse officiet publicis uectigalibus. Ac naualis, quod pulcherrimum habemus, præsides nō dissimili ratione maximè studebunt ut quamplurimas triremes ædificent, omnibúsq; bellicis ac nauticis instrumentis egregiè exornent, atq; pecunias publicas undique coactas in eum usum expendant: ex qua forsitan sedulitate reliqui reditus publici, & reficiendis arciū oppidorúmque mœnibus, et custodibus regionis satis esse non poterunt. Quamobrem solutis compagibus respublica distracta dilabetur, non culpa, sed studio ciuium, dum quisque perquam egregiè munus suum obire studet. Quòd si ex hisce incommodis effici uidetur, ut operæprecium sit boni communis curam alicui præcipuè demandari, cuius nullum officium priuatum sit, sed solummodo moderetur ac dirigat cuiusq; functionem ad commune bonum, & ad reipublicæ unionem, pluribus æquè hoc negotium committi, non reor fore

Frumētariæ rei præfecti.

Præsides naualis.

in rem ciuitatis. Etenim id quod pariter plures curant, omnes pariter negligunt, quod inquit Aristoteles, dum nulli præ alijs fraudi dari potest si quid perperam agatur: ut interim omittam æmulationem ac simultates quæ inter pares plerunque esse solent. Sin uerò unus huic rei præficiatur, qui temporaneum hūc magistratum gerat, utputa annuum uel semestrem, nō autem quoad uixerit, hic nimirum bene secum agi putabit, si tantisper respublica fœliciter agat, donec defunctus fuerit magistratu, securus quid postmodum sit euenturum, ac quò res casura sit. Quare contingit ut malè plerunque res cedat. Id quod certissimo experimento compertum esse potest à plerisque rebuspublicis sumpto, quæ hoc gubernationis genere usæ sunt nostris temporibus. Ideo sapientissimè à nostra ciuitate institutum fuit, ut in hac republica cōstitueretur quædam species regiæ gubernationis, adeò legibus tēperata, ut quouis incommodo ac periculo quod reip. imminere posset, amoto, utilitate uerò et cōmodo quod regia gubernatio habere solet, adscito, nihil relictum esse uideretur quod desiderandum sit, ac simul rempublicam liberrimam, & regem præsidem haberemus. Vnus ergo princeps eligitur, qui etiam habeat ducis nomen. Is quoad uixerit, reip. præest, præcipuéque curam habet boni communis, quo maximè ciuitates contineri, reor superius à nobis efficaci ratione probatū esse. Huius nulla priuata est functio: nulla etiam est in uniuersa republica cuius expers esse debeat. Hic cum unumquemque priuatum ciuem, tum etiam quoscunq; Ducis munia.

magiſtratus ita debet in officio continere, atque ea ratione moderari, ut ueluti quadam harmonia omnia cõſonent communi bono, atque ad unionem ciuilem referantur, nequa ſcilicet functio ſiue nimia ſedulitate magis quàm opus ſit intenta, aut negligentia remiſſa, utilitati communi officiat. Hoc igitur principis eſt munus, ut tanquam in quadam reip. ſpecula poſitus conſpicetur quid unuſquiſque rerum agat, eorum præſertim qui fuerint præditi publica authoritate: ac ſi quẽ perſpiciat qui officio ſuo deſit, accerſitum coram uniuerſo collegio uerbis primùm caſtiget, ac ſi res ita tulerit, adhibitis aduocatoribus, ſeu decemuirûm præfectis, mandet culpam eius dignoſci, ac de conſilij ſententia puniri. Ipſe quoque dux, ſi uelit, tum aduocatoris tum præfecti decemuirûm authoritate uti poteſt, atque de cuiuſque crimine, & de mulcta infligenda ad conſiliũ referre. Id quo more fieri ſoleat, infrà docebimus cum agemus de iudicijs criminum. Eam enim princeps obtinet poteſtatẽ, ut in quouis ciuium collegio ſeſe adiũgere collegam ualeat magiſtratui præſidi, parq; ius cum alijs præfectis habeat, ut hac potiſſimùm ratione omnibus conſulere queat. Verùm poteſtas hæc adeò legibus contracta eſt, ut ſolus nihil poſſit: alijs magiſtratibus adiũctus, nõ amplius authoritatis obtineat, quàm quiuis unus eorum qui eo magiſtratu fungantur. Quinetiam magiſtratuum ius adeò modicum eſt, ut nullus tametſi ſummus quidpiam ſtatuere poſſit, quod alicuius momenti haberi debeat, niſi de conſilij ſententia. Sed de his ſuo loco luculenter dicetur. Ac

Dux ſolus nihil poteſt

Magiſtratuum ius modicum.

in quouis consilio princeps tanquam illorum unus, unius tantùm suffragij ius habet. In magno item cõsilio, id est in conuentu omnium ciuium, dum comitia magistratum fiunt, neque gentili neque consanguineo competitori suffragari potest, uerùm eodem parique iure cum omnibus utitur. Ex his reor unumquenq; facilè intellecturum Venetorum principi oẽm ademptam esse facultatem ne abuti principatu queat, aut pro tyranno se gerere. Quæ res diuturna, quin potius uetustissima consuetudine uel à primis originibus urbis ad hæc usq; tempora producta, adeò inoleuit, ac confirmata est, ut nihil minus urbi Venetæ timendum sit, quàm reip. principem libertati ullum unquam posse negotium facessere. Verumenimuero cum maximos labores, ac ingentem solicitudinem animi absq; mercede ulla uniuersi reiecturi essent, potestatis dispendium principi repensum est, adhibitis honore, dignitate, ac demum specie regia. Nam ornatus corporis regius est. Purpurea enim ueste aut aurea semper utitur. Capite gestat uelamen linteum pro diademate regio, ac supra in capitium purpureum limbo aureo ornatum, cuius ea par quæ occiput tegit, in cornu formam assurgit. Sedem in suggestu habet ueluti regiam. Omnes ciues cum priuati, tum magistratum gerentes, detecto capite, ac stantes sedentem principem alloquuntur. honoris id hac tempestate signum præcipuũ. Nulli princeps assurgit. Cũctæ epistolæ reip. sub nomine principis prodeũt, ac ob signãtur. Orator quicunq;, prætor, præfectus, ac quis

Principi ad empta facultas abutendi principatu.

Prĩcipis uestis purpurea, aut aurea.

Linteum uelamen pro diademate.

Capitium principis cuiusmodi.

Ducis sedes.

Nulli princeps assurgit.

Publicæ literæ principis nomine prodeunt.

alius qui ad senatũ scribere uoluerit, literas ad principem destinant. Decretorum, legum, ac senatusconsultorum promulgationes nomine principis efficiuntur.

Numi nomine & figura ducis cuduntur.

Numi omnes tam aurei q̃ argentei excuduntur cũ nomine ac figura principis. Tandem ut paucis rem concludam, ubiq; intueris speciem regis, potestatem uerò nusquam. Equidem in Veneta rep. sapientissimè hoc, ut cætera, constitutum fuisse, nullus sanæ mentis inficiari ausit. Nam hac honoris mercede laboriosum alioqui principis munus rependitur: quod solum uirtutis præmium esse & uulgus prædicat, & summi philosophi prodidere: ex quibus Aristoteles in Ethicis inquit cum ij qui rectè et sanctè magistratũ gerant, non suæ, sed aliorum utilitati consulant, nulla alia ratione æquum eis tribui posse, præterquam ut honore alijs antecellant. Præterea magnopere facit huiusce principis dignitas, ut quicunque ciuis & castigationẽ eius maximè uereatur, & iniuncta munera maiori sedulitate perficiat.

Aristotelis locus.

Consiliarii sex. In sex tribus. Venetiæ diuisæ. Consiliariorum octimestris magistratus.

Adiuncti principi sex consiliarij sunt, delecti ex senis tribubus, in quas diuisa est uniuersa ciuitas, ex singulis scilicet singuli. Hi octimestrem magistratũ gerunt, et perpetuò adsident principi. omnia cum principe audiunt. nullæ literæ publicæ exeunt, nisi ex sententia quatuor consiliariorum, qui etiam nomina sua literis adscribunt, non ijs tamen quæ prodeunt, sed illis quas scribæ reip. primùm scripserint: atque post exempla edita seruantur. In qua re illud minimè est prætereundum, hisce literis quæ non ex decreto consilij, sed iussu principis ac consiliariorum datæ

ad quempiam fuerint, ut res parui momenti præcipi, & modicæ esse authoritatis. Illud nanq; sæpius est nobis repetendum, omne ius & omnem potestatem consilijs duntaxat esse attributam: nullum uerò magistratum per se amplam authoritatem obtinere. Sed infrà dicetur de consiliarijs: nunc ad principem, seu ducem malueris appellare, oratio redeat. Hac igitur specie regia principi adfixa, cum plerunque priuatæ opes satis futuræ non essent ad tuendam eam dignitatem, atq; ad eum locum honestandum, ex publico ærario constituti sunt in singulos annos duci ter mille & quingenti numi aurei. Ac ne quispiam fortasse paulo auarior in priuatam rem familiarem neglecta dignitate atq; utilitate publica auerteret eam pecuniæ summam, iniuncta sunt principi munera quædam quæ suis impensis obeat, quibus & dignitati principis, & Reip. usui cõsulitur. Quæ si neglexerit ut pecuniæ parcat, hæredibus imposita est mulcta pecuniæ tam grandis, ut dum rei familiari augẽdæ studere princeps uoluerit, ac hæredibus prodesse, magnam eius iacturam facturus sit, si ob auaritiam suæ dignitati defuerit, præterquam q hæreditariam quandam ignominiam ac dedecus posteris relicturus est. Complures stipatores alit, inermes tamen. Sericis uestibus semper utitur. domum habitat aulæis mirificè instructam. supellectilis argenteæ copiam habet, cæteraq; id genus quæ principi uiro conueniant. Singulis etiam quibusq; annis quater prandium parat sexaginta & amplius ciuibus lautè atque opiparè instructum. Qua in re peruetustum more La-

Cẽsus ducis ex ærario publico.

Prĩceps quater in anno conuiuium struit.

cedæmoniorum atque Cretensium, quorum Respublicæ illustres fuere, moderatum tamen, in hanc nostram Remp. maiores nostri transtulere. Nam cum summópere faciat ad beneuolentiam inter ciues conciliãdam conuentus ciuium frequens, conuiuia quædam publica impensis ærarij fieri statuêre tum Lacedæmonij, tum Cretenses: ad quæ cum ciues conuenirent, unusquisque facilè quemcunque dignoscere poterat, & necessitudine quadam arctiori ex consuetudine illa conuiuij inuicem uinciebantur. Verùm cum omnes promiscuè conuenirent, necesse erat plerunq; tumultus ac turbationem in conuiuijs illis acccidere. necnon cum ij quorum ea cura erat, pro se quisque lautè ciues excipere uellet pecuniæ publicæ interim magnã iacturam faciebant. Quapropter castigatione ac modo adhibito uetus illud institutum ad Venetos deductum est, omnéque id negocium principi demandatum. Quater ergo singulis annis ciues à principe adhibentur lautis sanè, sed nõ ĩuidiosis epulis: nec unusquisq; promiscuè accedit, sed

Qui conuiuio adsint.

ij tantũ quos princeps acciuerit, præter consiliarios, aduocatores, præfectos, quadragintauirûm ac decemuirûm præsides, qui iure quodam eorum magistratuũ semper cõuiuijs principis intersunt. Cæteri ciues oẽs inuitati accedunt. Hac autem ratione quatuor hæc cõ

Cõuiuio stati dies.

uiuia distributa sunt ut seniores digniores q; ciues inuitati circa brumam die diuo Stephano protomartyri dicato summo mane conueniant in ædes publicas habitationi principis destinatas, ac solenni pompa deducant principẽ domo, ac ædẽ diui Marci petãt. Ibi simul

interſunt ſacris. quibus perfectis reducunt principem ad ædes ſuas, ibiq́; ſimul epulantur. Aprili etiam mẽſe die Marci euangeliſtæ, cuius nomen Veneti præcipuũ habent, ac quem patronum ſibi adſciuerunt, poſteaquã eius cadauer ex Alexandria Aegypti ciuitate illuſtri Venetias delatum eſt, ciues ætate minores ac dignitate inuitati à principe, eodem more ac eadem pompa celebratis ſacris conferunt ſe ad prãdium principis. Diuus Marcus Venetorum patronus, & tutelare numẽ.

Aſcenſionis item feſto, quo die Venetijs nundinæ fiũt, adhibentur à principe ij qui uirilẽ ætatem attigerunt. Hi item ſummo mane ducem domo deducunt, ſimulq́; conſcendunt nauem quam ornatisſimam ad hos uſus ædificatam (hanc Veneti Bucentaurum uocant) ac æſtuaria egresſi, cum primum liberum apertumq́; mare intueri licet, antiquorum Pontificum beneficio qui hanc Remp. honeſtare uoluerunt pro rebus quamplurimis fortiter ac egregiè geſtis contra cõmunes Chriſtiani nominis hoſtes, Princeps iacto annulo aureo in mare inquit totidem ferè uerbis, in ſignũ ueri perpetuiq; imperij ſe eo annulo mare deſponſare. His adduntur ab urbis præſule cæremoniæ quædam: quibus peractis deſcendunt in ædem diuo Nicolao dicatã, uetuſtam ſanè, quæ in littore condita eſt quod mare ab æſtuarijs diſterminat. ibi ſacra myſteria celebrantur: quibus rite actis, cõſcenſa rurſus naui Venetias reuerſi principem domum reducunt, ſimulq; conuiuantur. Nundinæ. Bucentaurus. Maris deſponſatio.

Quartæ epulæ pertinent ad iuuenes ciues, qui .xij. Calendas Iulias die dicata Vito ac Modeſto martyribus, ſolenni pompa accedunt cum principe ad eorum

Martyrum templum ultra Riuum *magnum ſitum, qui urbem mediam diuidit.* Riuus *is iungitur ponte ſuper triremes ædificato pro temporis ratione, ne immenſo ferè circuitu iter illud conficiendum eſſet.* Templum *ergo inuiſunt, ſacris interſunt, ac demum à principe domum reducto excipiuntur lauto ſanè conuiuio. Ad hæc conuiuia principis frequenter adhibentur & ſaltatores & mimi, necnon etiam cantores egregij, qui conuiuas oblectant. Intermiſcentur interdum nonnulli ludi, qui mirificè capiant ſpectatores. Sic igitur uetus illud inſtitutum in* Venetam Rempub*. conceſſit, moderatum tamen. Nam hac ratione cuiuſcunque ferè ordinis ciues, pares tamen cum paribus, ad publicas epulas accerſuntur, ſimulq́; cum dignitati principis, tum maximè conciliandis inuicem ciuibus egregiè conſultum eſſe uidetur.* C*æterùm quoniam omnes ciues patricij ſingulo quoq; anno hiſce epulis honeſtari non queunt: ne ullus præteritus fuiſſe uideatur, ueteri inſtituto ac lege conſtitutum eſt, ut hyeme unicuique ciui qui in maiori conſilio ius ſuffragãdi habeat, mittantur à principe quinq; marinæ anates ueluti cõuiuij quædam publici portio. quod etiam ad conciliandos ciues* Duci, *non parum facere cenſeri poteſt. Hiſce impenſis inſumitur magna pars pecuniæ quæ ex ærario* Principi *quotannis numeratur.* Quo *fit, ut etiam ſi uelit auarus* Dux, *non queat tamen ullis auaritiæ ſordibus fœdare dignitatem atq; amplitudinem loci quem tenet.* Hoc *loco, quoniam omnis ferè poteſtas atque authoritas principis eſt à nobis explicata,*

Hyeme a principe patriciis quinque anates mittuntur.

referre

referre operæpretium est quo initio quibúsue temporibus Venetijs ducis huiusce creandi consilium initum fuerit, ac demum quænam sit ratio comitiorum in duce eligendo. A prima statim urbis origine, cum quinque nobilissimi Venetæ prouinciæ ciues, Aquileia, Cõcordia, Altino, Opitergio, Patauio, ac plerisque alijs ciuitatibus amplissimis atq; opulentissimis Hunnorũ impetu euersis, qui rege Atila duce maximã Italiæ cladem intulere, in ea æstuaria Adriatici maris conuenissent, in quibus postea Veneta urbs cõdita est, ac in uicinioribus locis patriæ quam liquerant, unusquisque sedes suas posuisset, ædificata fuere circiter uiginti ac duo oppida, partim in littore eo quod interiora æstuaria claudit, partim in tumulis quibusdam qui ex æstuarijs eminebant. Ac primis initijs cum ea oppida neq; per se satis munita essent, neq; nauigiorum copia alicui oppido tanta suppeteret, ut piratis ac prædatoribus maritimis per se quisque obsistere posset, optimũ fore censure, si de omnibus in commune consulerent, cum omnium etiam eadem fortuna esset, ac communi consilio prospicerent cum annonæ tritici, uini, frugumq; omnium quæ uictui necessariæ sunt, tum maxime propriorum Larium securitati, ne quam iniuriam seu detrimentum acciperent à piratis quibus expositi erant nõdum oppidis satis munitis. Quamobrem cum prius unumquodque oppidum præfectum ac præsidem sibi ex suis ciuibus delegisset, quem Tribunum uocabant, constitutum est inter omnes, ut certis diebus Tribuni hi conuenirent, ac de re cõmuni decernerent. Pau

Atila Hunnorũ dux.

Oppida in littore uiginti duo ædificata.

Tribunus.

lò pòst experientia compertum fuit, cum nulli ex illis præcipuè cura hæc incumberet, ac propterea multa detrimenta paterentur, commodissimam ac utilissimam rem omnibus fore, si uni cuipiam præ cæteris communis boni procuratio demandaretur, quem omnes alij uti principem agnoscerent. Itaque decretum est consensu omnium oppidorum, ut dux seu princeps unus eligeretur. Huic principi sedes constituta fuit in oppido Heraclea nuncupato. Situm id erat in intimis æstuarijs in insula quadam iuxta Planis fluuij ostium, quæ nostris temporibus alluuione fluuij continenti cõiuncta est. Postmodũ uerò cũ locus is nõ satis idoneus uideretur (nam cũ in recessu eo esset, sæpenumero prius quã mali fama eò peruenisset, piratæ iã intra æstuaria penetrarant, ac uel imprudentes oppidanos oppresserant, uel nauigia diripuerant) idcirco statuerũt satius fore, principem relicta Heraclea Metacomum concedere. Oppidum id in medio littore situm est: ex quo facilè dux præsentire poterat si quid insidiarum à piratis instrueretur, ac nullo negocio adeße ubicunque opus fuisset. Demum quo tẽpore Pipinus rex cladem ac seruitutem elementis illis Venetæ urbis minaretur, ac omnes Riuoaltum ex quibuscunque oppidis concesßißent, principis etiam sedes eò loci translata est: quò cunctis oppidanis conuenientibus, in eam amplitudinem quã cernimus, Venetiæ excreuere. Sic igitur perpetuo quodam tenore à primis statim urbis originibus unus princeps Reip. Venetæ præfuit. Primi illi aliquanto maioris authoritatis fuere: po-

Ducis origo

Heraclea initio principis sedes.

Principis sedes Metacomum translata.

Pipini regis tempore Venetias ducis sedes translata.

ſtea uerò uſu docente paulatim inſtitutis ac legibus poteſtas principis reducta fuit ad hanc temperãtiam quam cernimus Ratio *uerò eligendi ducis qui priori uita functo ſucceſſurus ſit, primùm quidem ſimplex fuit.* Nam *cum maiores illi noſtri ſingulari quadam bonitate prædíti fuerint, atque ab ambitione penitus alieni, unuſquiſq; pro ſe eam ſollicitudinem recuſabat: quapropter acclamatione populi, is qui omnium optimus ac prudentisſimus haberetur, princeps renunciabatur.* Poſt *prima ea tempora aucta ciuitate, ac populo ampliori effecto, inutile reip. fore uiſum eſt, ſi temeritati atq; auræ populari res tam magna commiſſa eſſet.* Decretum *itaque eſt, ut eligerentur undecim uiri omnium probatisſimi, qui creandi ducis poteſtatem haberent.* Demum *cum aliquantum ſimul cum imperio etiam ambitio excreuiſſet, inſtituta ſunt ſingularia quædam comitia, ac perplexa quædam ratio ducis eligẽdi eſt inuẽta.* Hanc *nos, nequid incepto operi deſit, paucis exponemus.* Defuncto *principe, ac iuſtis actis piè honorificeq;, conſiliarij, qui interregni illius tempore cõtinuò poſt obitum principis ſe in ædes publicas receperunt principis habitationi deſtinatas, magnum conſilium uocant.* In *eo primùm poſt interitum ducis conuentu, ea ratione comitiorum quam ſuprà narrauimus, quinque ciues creantur, quid defuncti principis res geſtas diligenter ſcrutari debeant, ac de conſilij ſententia, ſi quid ab eo contra leges ac decreta ſit factum, reſcindant. ſi à quopiam etiam minus acceperit, ac ſtatutæ pepercerit impenſæ, ea quin-*

Initio dux a populo renũciabatur.

Vndecim viri Principẽ creabant.

Poſtrema ducis eligendi ratio.

Principis defuncti res geſtæ a quinq; uiris exquiruntur.

Siquid a duce peccatū, hæredibus pœna irrogatur pecuniaria.

que hiſce referentibus à conſilio irrogatur hæredibus mulcta quam leges iuſſerint. pecuniaria ea ē, eaq; ſumma æris de hæreditate principis publicatur, atque in ærarium refertur. Eiſdem comitijs eliguntur quinque alij ciues, qui eodem momento quo renunciati ſunt, recipiunt ſe in conclaue comitio adiunctum, neq; inde diſcedunt antè quàm inter eos re conſultata ſtatuerint quod ipſis immutandum, tollendum, aut addendum poteſtati principis uideatur. Re inter eos diſcuſſa, iterum cogitur conſilium: quo coacto egrediuntur illi è conclaui (nam prius non licet) ac ſuam quiſque ſententiam ad conſilium refert de principis iure: ac uniuerſis ciuibus diſceptantibus, ſuffragijs diſcernitur id quod maximè uſui Reip. fore uiſum fuerit. Id decretum inter leges quas principes ſeruare debeant, refertur. Statim conſtituta principis poteſtate, poſtridie initur perplexa illa ratio comitiorum quibus princeps creari ſolet. Conueniunt itaque ciues omnes qui triginta annos exceſſerint. nam iuniores, eaq́; ætate minores, uetere Reip. inſtituto ad ea comitia non admittuntur. Numerantur deinde uniuerſi ciues, ac totidem globuli in urnam cōijciuntur, quot ciues fuerint. Ex his triginta ſunt aurei, cæteri omnes argentei. Ea urna ſtatuitur ante ſuggeſtum comitij ubi conſiliarij reſident. Adſtat urnæ puellulus. eductis ſortibus ſubſellia ciuium uocantur. ad eam urnam accedunt omnes eo quo ſederint ordine. Nullus autem (quod tamen in alijs comitijs fieri cōſueuit) in urnam manū imponit, ſed puer is qui urnæ adſtat, pro ſingulo quoque glo-

Cōſtituitur principis poteſtas.

Nō niſi qui 30. annos ſuperauit, ad comitia eligendi ducis admittitur.

bulum unum educit. Ii quibus argenteus obtigerit, statim egrediuntur comitium. At is cui sors fuerit educto globulo aureo, à scriba alta uoce pronunciatur. continuò ille in certum conclaue secedit. eius uerò gẽtiles omnes, consanguineiq; arcta necessitudine coniũcti, ex suo quisque loco assurgit, conceditq; in partem atrij. uniuersi ibidem numerantur, ac totidem globuli argentei ex urna extrahuntur. excedunt hi deinde ex comitio. Hoc pacto sortis beneficio triginta quibus aureus globulus obtigerit, deliguntur ex uniuerso ciuium cœtu. Quo peracto consilium dimittitur. Postquàm omnes excessere, triginta illi è conclaui egrediũtur: ac coram consiliarijs constituti denuò sortem subeunt: ac ex triginta hisce, nouem quibus sors fauerit, electores fiunt, cæterisque dimissis concedunt in conclaue huic muneri destinatum, ibiq; soli cõcluduntur, nullo prorsus nec ministro nec seruo admisso. nulli copia fit eos alloquendi: atq; inde neq; discedere queunt priusquam quadraginta uiros elegerint: nullusq; referri potest ab eis electus esse, nisi tulerit sex suffragia. quo fit ut quatuor refragantibus, nullus electus pronunciari queat. Cum primùm quadraginta hosce uiros elegerint, per internuncium custodem ac ianitorem publicum certiores consiliarios faciunt se munus suum obijsse. E uestigio consiliarij, ni hora diei fuerit ualde intempestiua, consilium magnum uocant. Posteaquam ciues omnes in curiã conuenere, profertur syngrapha ex conclaui, in qua descripta sunt nomina ciuium electorum. Ac scriba primus ascenso suggestu ma-

Sortis beneficio 30. eliguntur.

Ex triginta electores nouem fiunt.

Electores nouem alios quadraginta eligunt.

gna uoce pronunciat quadraginta designatos ciues. Horum quisque si interfuerit, cum primùm audierit se pronunciari, à loco ubi consederat surgit, ad suggestũ consiliariorum concedit, ac inde in conclaue destinatum. Sin autem eorum quispiam absens fuerit, confestim à consiliario uno, ac item ab uno quadraginta uirûm præfecto uel per totã urbem conquiritur. Inuentus ab eisdem magistratibus primùm in comitium, ac deinde deducitur in conclaue ad collegas, nulla interim præstita facultate aliquem conueniendi aut alloquendi, ne ulla ambitioni occasio aut aditus concedatur in his comitijs, quæ sanctissima omnium maiores nostri esse uoluerunt. Hac ratione quadraginta designati ciues improuisi conueniunt. Cum primùm conueniunt, eue stigio dimittitur consilium. Tunc quadraginta hi egrediuntur conclaue, ac in atrium comitij amplissimum magistratum adeunt, consiliarios uidelicet: ibiq; eodem sortium modo quem suprà retulimus, duodecim decernuntur: uiginti et octo qui reliqui sunt ex quadraginta uiris, repudiatis. Duodecim hi, uigintiquinq; uiros eligunt, quorum quisque necesse est ut octo suffragia ferat. paucioribus nanq; nullus eligi potest. Re expedita consiliarios per internuncium admonent. Hi si tempestiua hora fuerit, consilium cogunt: modoq; in nullo à superiore dispari, uigintiquinque illi improuisi coguntur, ac dimisso consilio eodem genere sortis nouem deliguntur, sexdecim reliqui discedunt. Nouem hi, quadraginta quinq; creant sex item suffragijs: qui pari pacto coacto consilio à scri-

Ex.40. uiris 12. decernuntur.

Electi. 12. alios 25. eligunt.

A. 25. alij. 9 eliguntur.

Nouem hi 45. creant.

ba pronunciantur, & in conclaue coguntur. Hi sortis eiusdem beneficio rediguntur ad undecim. Hi deligunt quadraginta & unum ciues ex primarijs senatoribus. qui continuò cum pronunciati fuerint, secedunt in atrium destinatum: hiq; facultatem obtinent ducis eligendi. Non tamen duos eiusdem familiæ, aut arcta inter se necessitudine coniunctos, in hanc classem electorum ducis admitti leges sinunt. qui mos perpetuus est apud Venetos in omnibus magistratibus. Tā perplexam ac multiplicem eorum comitiorum rationē maiores nostri sapientissimi atq; optimi homines esse uoluerunt, ne ciuium multitudo omnino expers esset potestatis ducis creandi. Nam primi ordinis electores sorte fiunt, quæ omnibus ciuibus par est. Post eum ordinem miscuere sorti electionem, ita tamen, ut electio sorti antecelleret. Nulli nanque fauere potest, nisi iudicio prioris ordinis fuerit comprobatus. At in postremo ordine nihil sortis esse siuerunt. Non enim putauere omnes qui principem electuri essent sortiū temeritati esse committendos. Ideoq; neq; multitudo expers omnino est huiusce authoritatis, neq; etiam omnino ius hoc tributū est multitudini imperitæ, apud quā plerunq; inanis quædam aura plus potest, quàm optimorum ac sapientissimorum hominum iudicium. Præterea cum nulli certi sint principis electores, sed res omnis ex eorum sententia pendeat qui sortis beneficio usi sint; nullus ambitioni est locus. Nam fieri facilè potest ut ij nullum habituri sint ius, quos tu egregiè ambieris. Nunc ad rem redeo. Peracta tandem ratione

Quadraginta quinq; rediguntur ad undecim. Quadraginta & unus ciues ab undecī deligūtur, qui potestatem habent eligendi principis.

comitiorum, cum iam creati fuerint quadraginta ac unus uiri principis electores, statim omnes, nullo interea ciuium salutato, nedum compellato, conueniunt in eam curiam in qua cogi senatus solet. Ibi primùm omnium sanctè ac piè diuina mysteria celebrãtur uniuersiq; tactis altaribus iureiurando deo optimo atque reipublicæ pollicentur, eum sese ducem electuros, quẽ sanctitate, in patriam charitate, solertia, ac prudentia a dijs præstantiorem esse duxerint. Amotis deinde sacerdotibus soli in curia concluduntur, neq; famulo, neque copiam alio ministro adscito. Tunc tres qui cæteris ætate antecesserint, ueluti præfecti resident ad paratam quandam mensam ad hoc munus, in qua urna quædam est constituta, ac unusquisq; elector notat in syngrapha nomen eius quem ducem pronunciet, ac no tatam syngrapham in urnam iacit. Iniectis omnium syngraphis, una educitur, quæ forte uenerit in manũ extrahentis. Lecta à præfectis syngrapha, is cuius nomen exierit, si præsens fuerit (ut plerunque contingit) continuò egreditur curiam. tunc si quis eorũ existimauerit eum ciuem parùm idoneum qui tam magnã dignitatem sustineat, aut ob quampiam aliam causam non fore è republica eum ducem esse, consurgit, ac primò modestè præfatus, ingenuè profert quid nam de eo ciue sentiat, & quamobrem putet non esse in rẽ patriæ eum ducem fieri. Cum finem is fecerit, præfecti nũcupatũ adhibent, ac strictim à seniore ei omnia repetuntur quæ ei obiecta fuerint, suppresso authore. Nam sacramẽto omnes se antea perpetuo obstrin-

xere silentio. Refellit ille obiecta ut libuerit, deinde iterum recedit è curia. Quòd si prior aut alius quispiam nouis rationibus adhuc arguere atq; hominem accusare uelit, potestatem habet. nouis criminationibus rursus accersitus ille respondet: sicq; uicissim res tractatur, donec accusatoribus nihil amplius reliquũ sit. tum demum in suffragia itur. Ante hæc tempora si is uigintiquinq; suffragia tulisset, nulla amplius aliorum ratio habebatur, sed statim ille dux renunciabatur. Nostra tẽpestate in comitijs quibus Andreas Grittus amplissimus senator creatus est dux, hæc ratio est immutata. Nam licet nullus electus princeps habeatur nisi suffragia uigintiquinque tulerit, nihilominus nõ sistunt in eo qui primus eum numerum suffragiorum expleuerit, ut antea fieri solebat, sed progrediuntur ad alios: ut si quispiam eum numerum suffragiorum excesserit, non prior, sed hic dux renuncietur. Postquam itum est in suffragia pro primo cuius nomẽ exierat, alia item syngrapha ex urna educitur, ac omnia pari passu procedunt, quæ in priori seruata sunt. Sic in tertio, quarto, ac omnibus deinceps. Quòd si nullus ad eam summam suffragiorum peruenerit, nisi hora diei fuerit intempestiua, iterum eadem ratione comitia repetuntur. Ac ut paucis res omnis expediatur, inde electoribus exire minimè licet. neque etiam ullam copiam habent conueniendi alloquendiq; extraneum quempiam, donec uigintiquinque eorum conuenerint in principe eligendo: quo renunciato cõfestim in curiam cõsiliarij uocantur. Ii omnium primi nouũ

Andreas Grittus.

Non qui primus 25. suffragia tulerit, dux creatur, sed qui excesserit.

ducem salutant, ac uenerantur. post id fama per urbẽ uagatur. ubiq; discurritur. ciues gaudentes conspicias. omnes supplices à deo opt. maxi. petunt ut reipub. fœlix faustúmq; id sit. Familiares ac consanguinei ducis in curiam properant: admissi nouo duci gratulantur. Eodem uestigio temporis noui numi cuduntur cũ facie atq; nomine principis. parantur cuncta quibus ad pompam opus est. Interea dux, electoréſq; omnes ibidem opperiuntur. Instructis omnibus descendunt è curia, ac adeunt ædem diui Marci, ei loco propinquã, augustum sanè templum, magnísq; opibus ornatum. Deum opt. primò uenerantur, ac suggestũ ex Porphyritide lapide confectum ascendũt uniuersi. Senior elector uerba ad populum facit, denunciat creationẽ noui ducis, eúmque modestè laudat. Post illũ item dux orationem habet: ac pauca de se pudenter præfatus, seruaturum se pollicetur cuncta quæ bonum principem deceant, bonoq; reipublicæ, nullius priuati commodi habita ratione, consulturum, ac in primis iustitiam culturum, daturúmque operam ut æquum ius omnibus sit: non rei familiari, non labori ulli, non uitæ deniq; parciturum, si reipub. usui suis incommodis prospici possit. Demum deum optimum diuum Marcum, sub cuius numine Veneta ciuitas est, atque diuos omnes precatur, ut sibi faueat, adspirent læti in tam magni muneris functione. Verba ducis uniuersus populus plausu excipit. Postquã dux perorauit, descendunt omnes ex eo suggestu, ac ducem ante aram maximam templi statuunt. Ibi tactis euangelijs, iureiurando dijs im-

Noui numi cuduntur.

Suggestus ex Porphyritide.

Dux ad populum orationem habet.

mortalibus ac reipublicæ fidem suam adstringit prin ceps, se nihil eorum omissurum quæ legibus præstare teneatur dux Venetus. His actis electores qui eatenus cum duce perstiterunt, discedunt omnes: at ipse pulpitum ligneum ascendit, adscito consanguineo quopiam in primis charo. Nautæ qui in precio habentur, pulpitum humeris attollunt, ac magno plausu deferūt insidentem ducem per forum totum diui Marci. Dux ex pulpito pecuniam suo nomine excusam iacit. Summa nulla certa statute est, sed pensatur rei familiaris copia, angustiáue, ac noui ducis liberalitate. iactam plebs studiose colligit. Tandem circumacto foro, cum ad scalas ædium principis publicarum uentum est, pulpitum sistunt. princeps descendit. Mos uerò inualuit, ut uestes quibus dux indutus est, ac uas argenteum in quo congesta fuerat pecunia effundenda populo, nautis qui pulpitum humeris sublatum gestauerunt, dono concedantur. Dux scalis ascensis excipitur à consiliarijs qui ibidem opperiebantur, ac coronatur capitio quod suprà diximus esse principis insigne. Hæc series est totius pompæ. Postridie senatu in curiam coacto dux orationem habet: deo ac patribus gratias agit quòd ad id honoris euectus sit: simúlq; operam suam pollicetur nulli Reip. commodo defuturam. Eiusdē fere modi orationem habet coram ciuibus uniuersis primis statim comitijs quæ post se creatum ducem fiant. Hactenus sit dictum de principe seu duce nostræ rei publicæ. Illud proximum est, ut de consiliarijs pauca quædam perstringamus, quæ tamen satis exploratam

Nautæ ducem in pulpito sedentem per forū deferunt.

Vestis principis ac argenteū uas [illegible] gestatorum.

Dux a consiliarijs coronatur capitio.

Consiliarij sex. In sex regiones Venetiæ diuisæ.

faciant omnem illius magistratus authoritatem. Adsident principi, quod etiam suprà monuimus, consiliarij sex, singuli inquam ex unaquaq; urbis regione. In sex etenim regiones uniuersa ciuitas diuisa est. Harũ tres sunt citra magnũ riuum, q mediam urbem diuidit, tres uerò ultra. Ex unaquaque igitur urbis regione cõsiliarius unus eligitur, ea ratione comitiorum qua omnes magistratus creari superius satis abunde explicuimus. Octimestris hic magistratus est: simúlq; cũ principe omnium rerum quæ ad rempublicam spectãt, curam habet. Verùm ueteri admodum instituto comitiorum ratio uniuersa consiliarijs potissimùm incumbit. Siqua etiam de re ad magnum consilium referendum sit, ac eius authoritate quidpiam sit sanciẽdũ, res tota decernitur consiliarijs referentibus, ut qui soli id iuris obtineant. His tamen interdum adiunguntur præfecti quadraginta uirûm: quibus tamen solis referendi ius non esset. Nulli præterea magistratui concessa est ea potestas. ducem semper excipio. Possunt etiam, si eis libeat, et ad senatũ, et ad decemuiros referre de re omni. Cæterùm præconsultoribus ea præcipuè cura demandata est, ut & senatum cogant, & ad senatum referant: quemadmodum officium est decemuirûm præfectorum & decemuiros cogendi, & ad eos referendi: de quibus à nobis infrà tractabitur. At consiliarij præditi sunt ampliori authoritate, utpote qui in senatu par ius habeant cum præconsultoribus, & in collegio decemuirûm cum illius collegij præfectis octo mensibus duci assident, eoq; munere fungun-

Consiliariorum magistratus octimestris.

Præconsultores.

tur quod iam explicui. Quatuor uerò menses intersunt: quin potius præfecti sunt quadraginta uiris qui bus capitis grauiores causæ sunt demandatæ eisq; decernentibus iudicantur. suo quoq; loco de hisce dicetur. Nunc postquam de magno consilio quod popularem statum in hac republica refert, ut de principe, qui regiam personam gerit, si non eleganter satis, tamen diligenter tractatum est: institutum opus poscere uidetur ut de reliquis partibus huiusce gubernationis referamus, quæ optimatium regimen repræsentant. Huiusmodi nanq; gubernatio in Veneta ciuitate cæteris facilè præstat, quam sequenti uolumine totam deo bene iuuante explicabimus. Quadraginta uiri.

DE MAGISTRATIB. ET REP. VENETORVM LIB. III.



MNIS hominum institutio, ni præpostera futura sit, naturam optimam rerum omnium parentem imitari debet: quæ cum ita totius mundi ordinem disposuerit, ut res sensus intellectúsq; expertes, ab his quæ mēte prædita sunt, gubernētur, ac in ominum ciuili hoc cœtu, quam ciuitatem appellamus, seniores iunioribus prudentia antecellant, utpote qui neque perturbationibus animi ita obnoxij sint ut iuuenes, rerúmque plurimarum, quas in longiori uita experti sunt, peritio-

res existant: ideo (quod Aristoteles in Politicis ait) in unaquaque republica quæ naturæ solertiam et sapiētiam æmulari uoluerit, senes præficiendi sunt summæ rerum: iuuenum uerò officiū esse debet ea facere quæcunque senes iusserint. Neque, quandò hoc institutum maximè secundum naturam est, seniorum imperium iuniores detrectare possunt, aut seditionem ob hāc rem ullam concitare, quoniam in discrimine hoc quod ætas facit, nullus inuidiæ locus est, nulláque querela esse potest: quandoquidem iuniores certò sperant sibi à minoribus uicem repensum iri. Quamobrem in rebuspublicis omnibus quæ alicuius nominis unquam fuerūt, gubernationi ciuitatis, rerúmque omnium publicarum seniorum consilium præfectum est, quem senatum à senioribus etiam nominarunt. Hac in parte adducerem instituta Romanorum, Atheniensium, ac reip. Carthaginiensium, et Lacedæmoniorum, necnon plurimarum ciuitatum leges, ni res notior esset, quàm ut ullius testimonio comprobari egeat. Pari igitur ratione in nostra quoq; republica institutus fuit senatus, de quo à nobis deinceps dicendum est. Senatus, ac decemuiri in Veneta ciuitate, cuius rempublicam mixtā esse dixi ex regio, populari, et optimatiū statu, referūt statū optimatiū, ac media quædā sunt quibus extremæ partes status scilicet popularis, id est magnū consilium, ac princeps, qui regis personā gerit, inuicem uinciuntur. Sic inquit Plato in Timæo extrema elementa terram ac ignem medijs elementis uinciri. Sic in διὰ πασῶν consonātia extremæ uoces medijs διὰ τεσσάρων ac διὰ πέντε

Senes præficiendi summæ rerum.

Senatus nomen unde.

Senatu quasi uinciūtur princeps & popularis status.

uocibus inuicem nectuntur. Vt ergo cœptum iter pergamus, Senatus Venetus centum ac uiginti legitimos senatores habet. Multi tamen prætereà magistratus obtinent ius senatorium, adeò ut nostra tempestate ducenti ac uiginti & amplius ius habeant ferendi suffragium in senatu. Senatores legitimi singulis quibusque annis creantur ab uniuerso ciuium cœtu, quē magnum consilium nominari superius sæpe repetitum ē. Nec tamen hic honos uacationem ullam habet, quemadmodum alij magistratus omnes: sed idem, si ita sors tulerit, ac magno consilio libuerit, quod plerunq; fit, singulis quibusque annis in eo munere uersari queunt. Modus ac ratio electionis suprà à nobis exposita est cum explicuimus formam omnem comiciorum. Eo igitur pacto Augusto ac Septembri mense singulis comitijs sex senatores eliguntur: quæ decies repetita, summam sexaginta electorum explet. Sexaginta reliqui adiuncti seu adscripti prioribus sunt: omnesq; hi simul proprijs quibusdam comitijs eliguntur. Nam ad tertium Calendas Octobris cogitur Senatus, ac unusquisque senatorum, & quiuis alius cui suffragij ius est, in senatu unum ciuem nuncupat. Postridie uerò illius diei mane ad horam diei tertiam conueniunt uniuersi ciues in comitio, perlectisq; à Scriba magno omnium ciuium nominibus quos pridie Senatores nominauerint coniecta in urnam omnium nomina sorte educuntur, ac in suffragia pro unoquoque itur. Ex omnibus his sexaginta, qui plura suffragia tulerint quàm cæteri, dummodo etiam dimidia excesserint, adscripti senatui

Senatores legitimi, 120.

Nihil prohibet Senatori prorogari magistratū.

Electis. 60. Senatoribus alii. 60. adscribuntur.

Adscriptorum electio

sunt eo anno, ea tamen lege, ne plures quàm duo gentiles in eorũ numero sint. Sic quoq; tres tantùm eiusdem gentis esse queunt in numero legitimorum Senatorum, prætereà nullus. Qua lege optimè consultum fuisse Reip. *existimari debet.* Nam *nulla perniciosior pestis in* Rempublicam *obrepserit, quàm si quæpiam eius pars cæteris præualuerit. Sic nãq; quoniã æquũ ius non seruatur, impossibile est societatem inter ciues consistere. Quod usu euenire solet ubicunq; plura in unum conueniunt. Sic soluitur mixtum, si quodpiam elementorum ex quibus constat, alia superauerit. Sic omnis consonantia dissonans fit, si fidem seu uocem unam plus intenderis quàm par sit.* Non *dispari rõne si ciuitatem aut* Rempublicam *constare uolueris, necesse est id in primis seruari, ne qua pars alijs efficiatur potentior, sed omnes, quoad fieri possit, participes sint publicæ potestatis. Quocirca perquã egregiè maiores nostri sancitum esse uoluere perpetuum hoc ius in* Republica *nostra, non tantùm in Senatu, sed neque in alijs magistratibus pluribus gentilibus locum esse, quàm ad seruandam æqualitatem opus esse uideatur.* Nec *minus prudens institutio eligendi Senatus habenda est, ut scilicet sexaginta Senatores more comitiorum solito, sorte inquam electioni ac iudicio admixta eligerentur. Sexaginta uerò Adiuncti ratione diuersa, in qua scilicet nihil esset sortis. Etenim si in omnibus semper sorti locus esset, facilè accidere posset ut aliquando præcipuorum ciuium ratio non haberetur, atq; in eligendo Senatu præterirentur, nõ*

Non permittẽdum ut in ciuitate pars aliqua cæteris præualeat.

Nõ in omnibus sorti locus.

sine

ſine Reip. detrimento. Idcirco ſexaginta Adſcriptos patres nulla ſorte ſingulis tamen annis eligi placuit. Senatus igitur primùm ex hiſce centum ac uiginti cõſtat, quorum ſexaginta proprio uocabulo Senatores appellantur: at reliqui Adiuncti, quorum comitijs integra dies conſumitur. Præter hos centum & uiginti legitimos ſenatores pari iure cum ſenatoribus ueniũt in ſenatum (ut ducem & conſiliarios prætercam) decemuiri, quadraginta uiri, iudices capitalium cauſarum, & criminum grauiorum: ſalis, annonæ frumentariæ præfecti, diui Marci procuratores, multiq́; præterea magiſtratus: adeò ut noſtris temporibus ſumma omnium ducentos ac uiginti excedat. hi iure Senatorum funguntur. Vniuerſa gubernãdæ Reip. ratio pertinet ad Senatũ. Quicquid authoritate Senatus decretum fuerit, id ſanctum ac ratum habetur. Eo diſceptante ac decernente & paces fiunt, & bella ſuſcipiuntur. Pecunia etiam omnis Reip. eius iuſſu exigitur & impenditur. Si res poſtulat, noua etiam tributa & decimæ ex decreto Senatus tum imponuntur ciuibus, tum etiam exiguntur à ciuibus. Si quando etiam contingat uſum Reip. eſſe ut nouus quiſpiam magiſtratus pro tempore inſtituatur, is à ſenatu eligitur. Præterea Senatus quibuſcunque temporibus obtinuit perpetuum ius eligẽdi oratores qui ad principes exteros à Rep. deſtinantur: necnon etiam creandi collegium eorũ qui ius habent & cogendi Senatum, & ad ſenatum referendi. Hos Ariſtoteles præconſultores nominat, noſtrates homines ſapientes uocant, arrogantiori uoca-

Senatores. Adiuncti. Qui ſenatorũ iure funguntur. Senatorum munera. Præconſultores, qui ſapientes dicũtur.

bulo usi, quo interdum nobis quoque utendum esse ducimus, ne à communi loquendi usu penitus abhorrere uideamur. Comitia tamen hæc senatus quibus & oratores & præconsultores eliguntur, minus habent sortis quàm ea quæ suprà descripsi, magni scilicet consilij, uniuersiq; cœtus ciuium. Vnusquisque enim Senatorum nominat quem uoluerit, deinde pro singulis in suffragia itur: ac is cui plura contigerint quàm reliquis, dummodo dimidium totius summæ excedant, electus renunciatur. Quòd si quandoq; necessitas & usus Reip. poposcerit ut inuito cuipiam munus aliquod publicum iniungatur, unusquisq; senatorum clàm in syngrapha eius nomen notat, quem maximè idoneum duxerit, deinde in urnam ad id paratam schedulam eam iacit. inde extrahuntur à scriba, palamq; legũtur oẽs, & demum pro quolibet in suffragia itur, isq; pronunciatur electus, cui plures suffragati fuerint, dummodo sint etiam plures dimidijs. Hic schedularum modus inuentus est, ne quispiam ueritus inimicitias siue odium sibi alterius ciuis comparare, qui maximè aptus sit ei muneri fungendo, nolit tamen, abstineat ab eo nominãdo, sicq; priuati commodi gratia, publica res detrimento afficiatur. Nunc is est à nobis modus recensendus, quo senatus consulatur, eáq; decernat & sanciat quæ facienda sunt, aut quonam modo Senatusconsulta fieri consuerint. Non latuit maiores nostros, si unusquisque Senator promiscuè tum referre ad Senatum, tum sententiam dicere posset, atq; hoc officium proprium nullius esset, magnam semper in Senatu turbationem

Quo modo inuito munus publicũ iniungatur.

Senatusconsulta qui fiant.

fore. Prætereà ita usu compertum esse, ut id quod omnes pariter curant, omnes etiam pariter negligãt. Ideo legibus nostris statutum est, ut à Senatu sedecim ciues eligantur, quos uulgus, propterea quod maximè omnium sapere uideantur, sapientes appellat: nos Aristotelem imitati, eo quod præconsultant illa de quibus cõsulendus est Senatus, Præconsultores iure merito appellare possumus. Hi ius habent & cogendi Senatũ, & ad senatum referendi. Magistratus hic semestris est. Cæterùm hi sapientes in tres sunt ordines distributi, qui longissimo interuallo inter se differunt. In primo ordine sex sunt senatores primarij ciues, qui cum rerum experientia, tum dignitate atq; existimatione alijs facilè præstant. His præcipuè id munus incumbit, ut de administranda republica, de bello ac pace, atque huiusmodi alijs maioribus negocijs præconsultent atque Senatum consulant. In secundo ordine quinque sunt ciues, qui tametsi parem authoritatem habeant referendi ad Senatum de omnibus cum his qui sunt primi ordinis, nihilominus sunt dignitate atque existimatione longè superioribus inferiores. Officium horum præcipuum est cura militum qui stipendio Reip. aluntur, & merent sub Veneto imperatore. Tertij quoque ordinis quinque sunt: his demandata est cura rei maritimæ, neque prætereà de quapiam re ius habent ad Senatum referendi. Hic ordo apud maiores nostros in precio habebatur quo tempore apud Venetos res maritimæ florebant. Verùm re maritima diminuta, ac nostrorum studijs ad

Sapientes.

Sapientes in tres ordines distributi.

Primus ordo.

Secũdus ordo.

Tertius ordo.

imperium continens conuersis, cœpit hic magistratus quoque in paruo precio haberi, adeò ut ætate nostra adolescentes & primæ lanuginis iuuenes ad eum ordinem eligantur. Hi ergo ciues sedecim, quorum cõuentus Collegium proprio uocabulo appellari apud Venetos consueuit, summo mane conueniunt cum principe ac consiliarijs: primumq; ad tertiam usque diei horam priuatos homines audiunt, quibus aliquid rei est aut cum Rep. aut cum quopiam magistratuum, easq; causas omnes decernunt simul: uel, si ita res poscere uideatur, ad Senatum de illis referunt. Sub tertiam diei horam dimittuntur è curia priuati omnes: ac confestim legũtur à scribarum aliquo qui à secretis Reip. sit, omnes epistolæ ad Senatum missæ: postmodum, nisi interpellentur ab oratore cuiuspiam principis, qui admitti ad ducem & Collegium uelit, aut à quopiam negocio maioris momenti, quàm ut differri ad aliud tempus possit: secedunt hi sapientes, siue præconsultores hi in certum conclaue, consultaturi de publicis negocijs: quò posteaquam conuentum est, ac omnes consederint, is qui præfectus est (nam per uices eorum quisque septenis diebus præ cæteris agendorum curam habet) rem proponit de qua sit consilium ineundum: deinde singulos sententiam rogat, eo seruato ordine, ut primæ classis præconsultores primarij ciues, primi etiam sententiam rogentur ac dicant: post eos quinque illi quos in secundo ordine constituimus. Postremi, si res proposita maritima fuerit, sententiam dicũt tertiæ classis præcõsultores, quibus præcipuè res ma-

Collegium.

ritimæ curæ ſunt. Quòd ſi res quæ in conſultationem uenit, non ſpectet ad rem maritimam, poſtremi hi ſilẽt. In unaquaque uerò claſſe primus ſententiam dicit, qui ſeptẽ diebus proximis præfuit: deinde maximè ſenex, deinceps alij prout ætate præſtiterint: poſtremus omnium, qui alios rogat, ac rem deliberandam propoſuit, is uidelicet qui per eos ſeptem dies præfectus fuerit. Re inter hos propè diſcuſſa ac deliberata, ſiue omnes in eandem ſententiam conuenerint, ſiue in duas aut tres diuiſi fuerint, prout diuerſa ſunt ingenia hominum, principem ac conſiliarios conueniunt priuſquam Senatum cogant: ibiq; omnium ſententiæ recitantur. Ac ſi princeps aut conſiliarius quiſpiam præconſultorum ſententiæ adhærere uoluerint, ſuáq; authoritate fauere, uel nouam inuenerint: re iterum inter eos tractata, tandem omniũ ſententiæ ſcriptis mandantur. Id munus eſt Scribarum qui ſunt à ſecretis Senatus. Sic negocijs quæ decernuntur authoritate Senatus, conſultatis, Senatum cogunt. Cum Senatores in curiam conuenerint, primùm recitantur literæ oẽs quæ alicuius momenti ſunt, ac redditæ principi atque præconſultoribus fuerint poſt dimiſſum proximum Senatum. Poſt id in rebus hiſce quæ à collegio ſapiẽtum ſeu præconſultorum deliberatæ fuerint, omnium ſententiæ leguntur, ſiue concordes ſint, ſiue diſſentiant, eodem ferè pacto quo Plato innuit Apud Athenienſes rogationes populi fieri ſolitas fuiſſe. Nullus uerò præter eos quos ſapientes uocari à Venetis admonui, ad Senatum referendi ius habet, ſuámque ſententiam

Rogationes populi apud Athenieñſes.

authoritate illius ordinis confirmandi, ac sanciendi. Semper ducem excipio, & consiliarios, necnon quadraginta uirûm præfectos, de quibus infrà dicetur. Lectis Senatui sententijs omnium, præfectus collegij, si uoluerit, surgit: sin minus, maximè senex, aut is cui dicere uolenti alij concesserint: ac elatiori suggestu ad id munus facto inscenso, super re proposita uerba ad senatum facit, atque adducit rationes omnes quibus suam sententiam adstruat, dissentientesq; refellat, modestè tamen & grauiter, ut Senatorij ordinis uirum decet: Postquam is perorauerit, surgit præconsultor alius, is inquam qui à priori dissentiat: suam ipse quoque sententiam confirmat, priorem uerò confutat, ac etiam si qua alia fuerit præter priorem, quæ à sua discrepet. Surgit deinde tertius, si tot sentētiæ fuerint, eaq; in medium adducit quæ secum facere uideantur. Sicq; deinceps res inter eos discutitur, quoad nullus eorum præterea sit qui uerba facere uelit. Nulli nanque senatorum locus dicendi datur, quousque omnes præconsultores, qui id muneris obire uoluerint, finē dicendi fecerint. Verùm postquam ultro citroq; quantum libuerit, & orationibus & argumentis hi cōtenderint, alijs quoq; Senatoribus datur dicēdi facultas: ac si quis Senator uelit contradicere cuipiam ex sententijs dictis, aut contrà quampiam earum adstruere, siue etiam nouam afferre, habet dicendi copiam. Non tamen Senatorum ullus ius habet referendi ad Senatum de noua sententia quam ipse inuenerit, ac Senatui proposuerit. Sed plerunque contingit, si in usum

Nō nisi præconsultores finem dicendi fecerint, datur dicendi Senatoribus locus.

Reip. fore uideatur: consilium eius Senatoris, ut aliquis ex collegio, siue consiliarius, siue quadragintauirûm præfectus, de sententia ea referat. Hoc ergo pacto re bene discussa ac deliberata suffragijs, Senatus uniuersus decernit quamnam sententiam potissimùm probet. Non tamen pedibus in sententiam eunt, aut discesſionem faciunt (quem morem Romanos seruasse memoriæ proditum est) neq; palàm sententiam dicunt, sed urnis ac suffragijs rem decernunt, non dissimili ratione ab ea quam seruari in comitijs suprà docuimus. Scribæ qui sunt à secretis Senatus, ferunt totidem urnas, quot fuerint sententiæ de quibus consulitur Senatus. Ac una uiridis, quæ eorum suffragia excipiat, qui sentētias eas omnes repudiant. Præterea una rubei coloris, in quam iaciat suffragia Senatores quibus nondum liqueat. Vnusquisque autem Senator suffragiū in eius urnam demittit, cuius sententiā præ alijs probauerit. Si omnes reijciat, in uiridem urnam. Quòd si nondū liqueat, ac dubitet, rubea urna præstò est. Consiliarij suffragia numerant. Id uerò decretum habetur, cui plures quā dimidij Senatores fuerint suffragati. Quòd si nulla sententia dimidiū summæ excesserit, primū ea reijcitur cui paucisſimi aſsensi fuerint, ac repetuntur suffragia pro cæteris sententijs: ac pari modo semper postrema reiecta, controuersia ad duas deducitur, quarum altera necesse est ut plura dimidijs suffragia ferat, in quam Senatusconsultum factum fuisse pronunciatur. Re una expedita refertur de alijs, nisi hora diei fuerit intempestiua: idemq; modus

Veneti pedibus in sententiam non eunt.

Oratores Principum excipiuntur.

in omnibus seruatur. Sin cuiuspiam principis orator ad Remp. Venetam accesserit, excipitur à principe, cũ siliarijs, & uniuerso collegio, ab ijsq; auditur. Deinde tempus consultãdi poscunt: atque oratore dimisso, req; à Praeconsultoribus eo quem suprà diximus modo deliberata, Senatus consulitur. Princeps primùm Senatui narrat quae orator petierit: dein sententiae leguntur omnium qui ius habent referendi ad Senatum: pariq; ratione fit senatusconsultum quo petitioni oratoris respondetur: Demum adscito oratore legitur ei Senatus decretum, sicq; dimittitur. Haec ferè summa est eorum quae tum ad senatusconsulta, tum ad uniuersam rationem atque ordinem consulendi Senatum pertinere uideantur. Nunc tempus poscere uidetur locusq; hic esse idoneus ut ea de Decemuiris paucis recenseantur, quae facere ad institutum opus uideri possunt.

Decemuiri.

Hoc collegium decemuirûm apud Venetos summae est authoritatis, & à quo non iniuria quis asserat reipublicae incolumitatem praestari. Huius origo à nobis est longius repetenda, ut omnis eius magistratus ratio facilius intelligi queat. Diuina quadam animi prudentia maiores nostri perspexere, quemadmodum in corpore humore quopiam putrescente. innumeri ac periculosissimi morbi plerunq; accidunt, qui saepe etiam interitum adferunt, ita in rebuspublicis insurgere interdum improbos ciues, qui negotium reipublicae facessant, dum potius prauè imperare uolunt, quàm legibus parêre, siue adducti ambitione, ac regnãdi cupiditate, siue aere alieno grauati, seu etiam

scelerum conscij, ac metuentes ne pœnas daturi sint: quales Romæ legimus fuisse Catilinam, Syllam, Marium, ac demum Iulium Cæsarem, qui tyrannide potitus remp. penitus euertit. In Græcorum etiam rebuspublicis, alioqui illustribus, nonnullos eiusmodi perditos ciues extitisse memoriæ proditum est. Nostris uerò temporibus compertum omnibus esse potest, omnes ferè ciuitates Italiæ quæ populari statu, aut etiã optimatium utebantur, tandem in cuiuspiam suorum ciuiũ tyrannidem deuenisse. Quamobrem omnibus uiribus nitendum maiores nostri statuêre, ne pulcherrimè instituta respublica, ac optimis legibus confirmata, quopiam huiusmodi monstro uexaretur. Nihil enim magis metuendum sibi esse duxerunt, quàm intestinum hostem, & ciuium inter se simultatem. Cæterùm cũ animaduertißent in Lacedæmoniorum rep. Ephoros summæ authoritatis fuisse, Romæq; decemuiros, qui etiam leges condiderunt, operæpretium se quoque facturos crediderũt, si horum exemplum imitati, in dispari tamen causa, magistratum in hac nostra ciuitate instituerent summæ potestatis, cui præcipuè cura esset prouidendi nequa inter ciues discordia oriatur, quæ seditionem faciat nequa factio, aut nequis perniciosus ciuis reip. insidias moliatur. Quòd si quispiam huiusmodi morbus malo fato in ciuitatem furtim obreperet, summam haberet authoritatem in eos animaduertendi, ac procurandi ne resp. quidpiam detrimenti patiatur. Tam magna uerò potestas neque paucisimis committi sine periculo poterat, neque formidolosa si-

multis cõmitteretur, futura erat. Quocirca ut ab utroque incommodo cauerent, instituerunt hoc decemuirale collegium. Annuum hi magistratum gerũt, eámque uacationẽ habent, ut eius qui uel per diem in eo magistratu fuerit, non tantùm eo anno, sed futuro etiam eius muneris uacationem habeat, neque fas sit de eo rationem haberi comitijs decẽuiralibus. His decemuiris principem quoque & consiliarios adiunxere: ut uniuersum collegium summam expleret decem ac septem ciuium, quibus hæc summa potestas tributa sit. Ex decemuiris singulis quibusq; mensibus tres dicuntur ab illis quibus sors obtigerit. hi principes collegij sunt. materna lingua Capita decemuirũm appellari cõsueuerũt. Hi ius habent cogendi collegium decemuirale, ac ad illud referẽdi. Priuatum cõclaue habent, in quod quotidie conueniunt. Habent etiã priuatos ministros, ianitores, apparitores, ac stipatores, adeò ut nullius magistratus subsellia cum maiori obseruantia adeas. Adeunt uerò omnes illi quibus cum decemuiris negotium est. Literas quoque ad collegiũ scriptas hi legũt, atque de literis ad collegium referunt. Ne tamen temere senatus ille consulatur, unus tantùm ex his principibus referendi ius nequaquam habet, sed duo sint opus est, qui referre de eadem re uelint, seu quatuor consiliarij. Ob eandem etiam causam, ne quid temere à paucissimis ciuibus immutari pòssit, institutum illud est, ne si quidpiam quod iam sancitum sit, abrogare uoluerint, decretum id haberetur, nisi duæ collegij partes suffragatæ fuissent. Illum quoque morem ob-

Decemuiralis magistratus annuus.

Capita decẽuirum.

Ministri decemuirum.

Apud decẽ.

ſeruant, ne reum, cum de eo iudicium laturi ſunt, in collegium admittant, neque cognitorem aut oratorem quempiam qui rei cauſam agat: quod tamen ius cõceſſum eſt reis apud quencunq; alium magiſtratum cauſam dixerint. Verùm huiuſmodi inſtitutum in iudicijs ſeruant: A principibus collegij reus auditur, eiuſque dicta omnia ſcriptis mandantur. Cum uerò cauſa ad collegium defertur, ipſi collegij principes, atq; alij iudices qui interſunt, & accuſatoris & rei uicẽ agunt, réſque decernitur maxima ſemper adhibita iudicij moderatione. Initio decemuiri huic tantùm rei operã impendebant, ne ſcilicet reip. ciuiliq; concordiæ quicquã officeret. Poſtea uerò grauiſſima quædam crimina, ac enormia facinora huiuſce iudicij ſeueritati ac cenſuræ commiſſa fuerunt, ut ij qui rei facti eſſent quòd numos adulterinos cudiſſẽt, uel quòd maſcula uenere uſi eſſẽt. Sed noſtris temporibus decemuirũm authoritas latius ſerpſit. Nã tum multa maximè arcana quæ pertinẽt ad gubernationem reip. ad decẽuiros deferuntur, licet nihil decernant quod maioris momenti ſit, niſi è ſentẽtia totius ſenatus: tum pleræque res pecuniariæ ab his adminiſtrantur. Quocirca ne in tot negotijs & tam magnis, pauciſſimi ciuibus ius eſſet, accerſiti ſunt in hoc collegium ſapientes primi ac ſecundi ordinis, Aduocatores, Procuratores ſancti Marci, qui magiſtratus ſummè uenerãdus eſt, ac præter hos quindecim ſenatores adſcripti ſunt huic collegio, quos etiã Adiũctos uocãt. Vniuerſi tamen hi ius ſuffragij habent, ſed præter decẽ ac ſeptem priores, quindecim his adiuncti, adeò ut

Viros quo pacto reorũ cauſæ agantur.

Procuratores Sancti Marci.

omnes summam expleant triginta ac duorum. Cæteri hoc iure priuati sunt, quanuis omnibus negotijs intersint. Adiuncti quindecim neq; à senatu, neq; comitijs magni consilij eligi solebant, sed decemuiri quos uoluissent Senatores quindecim collegas sibi adiungere consueuerant. qui tamen neq; gẽtiles eorum fuissent, neq; arcta necessitudine coniuncti. Nunc uerò Adiuncti hi quindecim comitijs magni consilij eliguntur. Maximam ex decemuirali hoc collegio utilitatẽ reip. Venetæ extitisse, experientia rerum omnium magistra compertum est. Nam anno abhinc decimo supra ducentesimum Marinus Phaletrus dux qui tyrannidem moliebatur, ac reipub. magnam turbationẽ allaturus fuerat, continuò decemuirûm authoritate ac prudentia oppressus, temeritatis simul atq; sceleris pœnas dedit, disceptantéq; hoc collegio capite mulctatus est cũ plerisq; nobilissimis ciuibus, qui cum eo in perniciem libertatis Venetæ conspirauerant, perpetuáq; ignominiæ nota effectus. Eo enim in loco Curiæ in quo imagines principum omnium depictæ sunt cum elogijs rerum quas optimè pro rep. gesserint, Marini Phaletri sedes imagine uacua, uersiculis quibusdam inscripta est, quibus significatur legentibus, eum ducem pro criminibus (ut nihil immutem) securi percussum fuisse. Perniciosissima certè conspiratio, quæ facilè perniciem & exitium reip. Venetæ allatura fuerat, ni collegij decemuiralis authoritate statim oppressa fuisset. Nonnulli etiam ciues qui ambitione ducti periculo sas quasdam leges promulgauerant, ut auram popula

Marinus Phaletrus dux tyrannidem molitus.

Imagines principum in curia depinguntur.

Marinus dux securi percussus.

rem aucuparentur, continuò decemuirûm seueritate compressi, reip. pœnas dederunt temeritatis ac immodicæ ambitionis. Qua ratione effectum est deo optimo bene iuuante, ut nullus huiusmodi morbus in hac ciuitate nostra iam huius collegij authoritate confirmata inualescere poßit. Iam præcipuæ partes Venetæ reip. à nobis expositæ sunt, quibus uniuersa ferè gubernatio continetur. Verùm ut ex omni parte institutum à nobis opus perfectum sit, de reliquis etiam magistratibus dicemus, à quibus tum iura dicuntur, tum pecuniæ publicæ administrantur: necnon de gubernationibus ciuitatum quæ sub Veneta ditione sunt, ac de classium exercituúmque præfectis. Postremò nonnulla instituta exponam, quibus optimè meo iudicio cautũ est, ne populus ac plebs minutior ægrè ferat nullam sibi in hac rep. gubernationis partẽ esse. Item docebimus nequaquam omißam fuisse, ut plerique existimant, publicam institutionem iuuentutis ad rem bellicam. Verùm antequam ueniam ad harum rerum institutionẽ explicandam non ab re fore existimo, si lectorem admonuero, in ea ratione qua suprà dixi senatum consuli solere, necnon collegium decemuirale, perspicuò apparere mixtionem quandam legum popularis status, & reipublicæ optimatium. Nam quòd nihil posßit senatus decernere nisi prius à præconsultoribus ad senatum de eo relatum sit, optimatiũ status est. Quòd uerò præconsultores nullam habeant potestatem nisi consulant senatum, & eorum sententia confirmata sit senatus authoritate, est utique institutũ popularis gu-

Propositio ac diuisio dicendorum.

bernationis. Itaq; non tantùm in uniuersa hac nostra republica, uerùm etiam in quacunq; eius parte qui recte animaduerterit, inueniet hanc quam mixtionem et temperiem, qua rectæ illæ gubernãdi rationes in unã formam atque speciẽ reip. coaluerint. Sed nostra oratio reuertatur unde digressa est, ac cœptum iter prosequatur. Omnium ergo prima nobis ea pars sit exponenda, quæ pertinet ad ius dicendum. Vniuersum ius quod à magistratibus reddi solet, bifariam diuisum est. Nam uel constitutum est in supplicijs, quæ sumenda sunt de hominibus facinorosis, qui patriam aut ciuem aliquem insigni iniuria affecerint, seu in deos immortales impij extiterint: uel positũ in causis forẽsibus iudicandis. Idcirco duo etiam iudicum genera Venetijs sunt. Horum alterum præficitur causis forensibus, alterum uerò iudicijs rerum capitalium. Primùm de iudicibus criminosorum hominum, mox de forensibus dicemus. Delictorum quædam minutiora habentur uel suapte natura, uel peccantium hominum conditione: nonnulla grauiora, ac maioris momenti, aut genere ipso peccati, aut nobilitate peccantium. Qua de causa duplices quoq; magistratus capitalium rerum sunt instituti. Ad horum alteros grauiores causæ ac insigniora crimina deferuntur. ad alteros leuiora. Hac ergo ratione iudicia uniuersa in rep. Veneta perquam egregiè diuisa ac constituta uideri queant. Nos de insignioribus primò. subinde de alijs dicemus. Præter delicta quæ censuræ decemuirûm suprà diximus commissa esse, grauiora omnia crimina aduocatori-

Iuris diuisio.

Iudiciũ duo genera Venetijs.

Delictorum cõsideratio.

Capitalium rerum iudices duplices

bus referentibus, ac quadragintauirali collegio disceptante decerni solent, ac pœna constitui ijs qui in eis deprehensi fuerint, pro criminis qualitate. Quadraginta hi uiri qui criminum causis præfecti sunt, criminales uulgò appellari consueuerũt. Aduocatorius magistratus priscis temporibus summæ fuit authoritatis, ac incredibilis existimationis. Præcipuum eius munus est legũ custodia, ne aliqua scilicet in parte legibus officiatur. Quãobrem quisq; eorum qui in eo sunt magistratu, potestatẽ habet intercedendi eã propè quã apud Romanos Tribuniplebis obtinebant. Sed illi ut tuerentur libertatem Romanæ plebis, nostri uerò ut tueantur uim legum: quare non iniuria uocari possent Tribuni legum. Nos tamen ne perspicuitati (cui præcipuè operam damus) ulla in parte officiamus, à cõmuni usitatoq; uocabulo non recedemus. Illi ad plebem siue ad pop. Romanum referebant, nostri aduocatores referunt de causis leuioribus ad quadragintauiros, ad senatum de maioribus, ac de maximis: interdũ, si ita eis uisum fuerit, referunt ad maius consilium. Quamobrẽ antiquitus magna erat huius magistratus authoritas. Nunc ueeò quo decẽuirũm potestas latius euagata est, eo aduocatorum existimatio est obscurata, atq; authoritas imminuta. Cæterùm cum is magistratus tam amplam obtineat intercedendi potestatem, ac legum custodia ad eum potissimùm pertineat, atque hi qui facinus aliquod perpetrauerint, maximè contra leges fecisse uideãtur, præcipuè illustres ciues, quorum interest præter alios reip. conseruandæ operam dare: id-

Criminales

Aduocatorius magistratus.

Tribuni legum.

Aduocatorũ authoritas imminuta.

circo peculiari quodam modo huiusmodi delicta censura aduocatorum uisa sunt esse corrigenda, licet ipsi nullam habeant potestatem quippiam contra reos statuendi, præterquam in paruis quibusdam causis. cætera omnia de consilij sententia statuuntur. Hoc in loco non ab re futurum duco, si omnes explicuero iudiciorum capitalium rationes, quæ aduocatoribus referentibus fiunt: quandoquidem nullibi. quod sciam modus is seruari soleat, simulq; ut arbitror, perspicuum faciemus quamnam authoritatem habeat hic aduocatorius magistratus. Cum ergo crimen aliquod ad aduocatores delatum fuerit, si res digna censeatur, eorum censura confestim uel ab omnibus, uel etiam ab uno tantùm (nam tres ei muneri præfecti sunt) interceditur, id est reus efficitur ille cuius nomen delatum sit. deinde ab intercessore refertur de eo crimine ad cõsiliũ illud quod maluerit aduocator qui intercesserit: quamuis plerunq; consulatur quadragintauirale collegium, quod præfectum est iudicijs capitalium criminum, ibiq; causa recitata, de consilij sententia decernitur an reus sit in carcerem conijciendus, & quæstioni adhibendus, an potius causam solutus dicere debeat. Post id iuxta decretũ consilij accersitur reus, uel clàm capitur ab apparitoribus aduocatorij magistratus; ibiq; siue solutus siue in uinculis de crimine eo rogatur, respõdet, testes utrinque citantur, omnia scriptis mandantur, siue cum reo faciant, siue contra reum. Hac ratione tota causa in codicem publicum relata, omniũ quæ scriptis mandata sunt, fit copia reo: constitutoq;

Iudiciorum capitalium ratio.

Aduocatores tres.

Codex publicus.

ſtitutoq; tempore quo docere cauſam queat aduocatos atque oratores quos ſibi adhibuerit, ac illi posſint omnia animaduertere quæ reo patrocinentur, necnon etiam cogitare quo pacto obiectũ crimen, teſtimoniaq; reo aduerſantia diluere posſint: tandem cauſa incipit agitari. In hac parte non eſt reticendus mos maiorum ad noſtra uſque tempora perductus. Si fortè quiſpiã reus factus tam tenui re familiari fuerit, ut ſumptum facere nequeat in conducendis aduocatis qui partes ſuas tueãtur, duo oratores qui conducti ſtipẽdio reip. cauſas ærarij defendũt, ſuſcipiunt partes illius rei inopis tuendas. Sic nanque lege cautum eſt, ne ullus indicta cauſa puniatur. Poſtquam uerò ſatisfactũ reo fuiſſe uidetur, ne ad ſui defenſionem quippiam amplius ei deſiderandum fuerit, aduocatores conſilium indicunt, ac diem reo conſtituunt quo cauſam dicturus ſit. Conſilio coacto, magiſtratus hic aduocatorius uice accuſatoris fungitur: eóſq; qui in eo ſunt magiſtratu, maximè decet ut accuſatores acerrimos agant, qualis (dummodo id aſſequi queant) fuit Cicero in Verrem, aut in Marcum Antonium, dummodo maledicentiæ illi parcant, neque extra cauſam maledicendo uagentur. Nã is qui maledictis indulget, potius inimici & praui hominis officium facere, quàm Reip. cauſam agere uideretur. Hac enim parte apud Venetos longè ſecus res habet, quàm apud Romanos. Olim Romæ quiuis ciuis alteri diem dicere poterat, eumq; quamacerrimè accuſabat apud iudices. Venetijs uerò nullius priuatus munus hoc obire poteſt, ſed aduocatorij magiſtratus ex

Inopum cauſę quomodo defendantur.

Nullus indicta cauſa punitur.

Conuitijs parcitur, neque extra cauſam excurritur.

F

Accusare soli aduocatores possunt.

Reip. lege officium illud est. Qua in re magis naturã rerum imitati, sapientiusq; concordiæ ciuium consuluisse maiores nostri uideri solẽt, quàm Romani. Nam quoniam qui facinus aliquod perpetrauit, maximè læsit Rempublicam & leges, ac ideo præcipuè Reip. pœnas dare debet, iure magistratus is qui tuẽdis legibus præest, poscere à facinoroso homine pœnas, atq; ad id omni studio eniti debet. Contrà priuati officium est illatas sibi iniurias obliuisci, ac facilè reo ueniam concedere. Præterea nullus priuatus ciuis potest accusatoris personam sibi sumere absq; maxima inuidia, & incredibili odio eius cui diem dixerit. ex qua re facilè seditiones oriũtur inter ciues. At à nostris perquam egregiè hoc incommodum euitatum est, uniuerso hoc accusandi munere magistratui demandato, qui nõ priuata simultate ductus, sed ex legis instituto id agat. Quo effectum est, ut nunquam ferè auditum sit aduocatori cuipiam uitio datum esse quòd uehementius in reum sit inuectus, aut quòd nimis acrem accusatorem se gesserit: immò qui acriter in hoc officio uersatur, magnam sibi laudem comparat apud uniuersos ciues. Sed ad inceptam iudiciorum rationem redeo. Agit ergò coacto consilio aduocatus partes accusatoris, orationemq; in reum habet acerrimam. crimina & facinora obijcit primùm, deinde testibus obiecta confirmat, ac uerisimilibus coniecturis adstruit. Postquam finem dicendi fecerit, agitur causa rei ab eo patrono quem reus sibi adsciuerit: dein antequam iudices sententias rogentur, si aduocatorum quispiam in reum

Accusandi ratio.

dicere uoluerit, locum habet dicendi. Ita etiam aduocati rei facultatem habent respondendi, & obiecta crimina diluendi: eaq; ratione causa utrinque agitatur, donec alter eorum, siue reus, siue aduocatorius magistratus cui dicendi locus incumbit, se amplius dicere nolle pronunciauerit. Perorata causa reus eiusq; patroni discedunt è curia iudicum. cum iudicibus in conclaui clauduntur aduocatores, ac eorum scribæ, præterea nullus. Aduocatores primùm ad iudices referunt de puniendo reo, ac sententias rogant, an puniendus esse uideatur, nulla tamen adhuc certa constituta mulcta. Quem morem ferè Athenienses seruabant. Athenis nanque iudices duplices sententias ferebant, primas an absoluerent, uel condemnarent reũ: secundis deinde, si prioribus condemnatus fuerat, pœna constituebatur: ut ex Apologia Socratis apud Platonem perspicuè intueri licet. Consimili iudiciorum ordine, ac propè pari nos utimur ratione. Refertur igitur primùm ab aduocatoribus de condemnando reo. Iudices in suffragia eunt (omnia nanque consilia apud Venetos suffragijs res omnes decernũt) tres urnæ deferuntur, quarum una reus damnatur, altera penitus absoluitur ab omni mulcta, tertia colliguntur eorum suffragia quibus nondum liquet utrum sit statuendum. Prima urna, qua damnatur reus, albi coloris est: secunda, qua absoluitur, uiridis: tertia, rubei. Vnusquisque igitur iudicum, siue causa agatur disceptantibus quadraginta uiris, ut plerũq;, siue Senatus cõsulatur, quod rarò & in grauioribus

Athenis iudices sententias duplices ferebant.

Reus dannatur uel absoluitur, uel comperendinatur.

causis fieri consueuit, siue ad magnum consilium relatum sit ab aduocatoribus, quod rarissimè & in causis grauissimis fieri consueuit, clàm, ne quis uideat, demittit suffragium suum seu pilulam linteam in eam urnã quam maluerit. Postea *à præfectis consilij suffragia numerantur.* Quòd *si plures dimidijs reum absoluerint, confestim reus pronunciatur absolutus fuisse, et aduocatorum rogatio repudiata.* Sin *plures dimidijs damnauerint, illico pronũciant reum damnatum.* Sin *uerò neutri dimidium excedant, quoniam multi iudicũ sint quibus nondum liqueat, pronunciant reum comperendinatum esse, ac iudices uelle amplius causam discuti.* Si *reus absoluitur, nihil amplius negocij habet, ac è uestigio liber dimittitur.* Si *comperendinatur, iterum statuitur dies iudicibus & reo, qua denuo causa agitatur, accusantibus aduocatoribus, ac patronis crimina obiecta diluentibus.* Post *dictam & peroratam causam suffragia iudicum repetuntur.* Quòd *si ex numero suffragiorum qui in neutram partem dimidium summæ non excedat, nihil adhuc decretum sit, iterum pronunciant reum comperendinatum, ac tertio consilium indicitur constituta die, qua tertia quoque causa eodem modo repetitur: demum in suffragia itur, nec tum amplius ratio ulla eorum habetur quibus nondũ liqueat.* Idcirco *nisi paria suffragia fuerint, necesse est reum uel damnari, uel absolui.* Si *absoluitur, iam superius dixi nihil ei amplius negocij esse.* Sin *uerò pronunciatur damnatus, tum demum decernitur quanam pœna sit in eum animaduertendum.* De *genere pœnæ*

Tertio licet comperendinari, & non amplius.

referunt tum aduocatores, tum præfecti collegio iudicum. Mos tamen est ut aduocatores eam mulctam proponant quæ pro genere criminis acerbissima uideatur. Huius etenim magistratus officium est, ut ad seueritatem inclinet: alij leuiores pœnas proponere consueuerunt, nisi crimen fuerit adeò atrox, ut clementiæ nullus sit locus, seu aduocatores leuius egerint quàm eum magistratum deceat. Propositis omnium sententijs, eodem ferme modo decernitur pœna qua reus ille sit afficiendus, quo suprà diximus senatusconsulta fieri solere ubi Præconsultorum sententiæ uariant. Quam rationem si hoc in loco repetere uellem, ac importunè tædio afficere lectorem, iure merito ineptus haberi poßem. Hoc tamen dixisse satis est, eam sententiam iudicum pronunciari, quæ reiectis alijs plura dimidijs suffragia tulerit. Hoc in loco mihi uideor non ab re facturus, si bina instituta annotauero prudentisßimè nobis à maioribus nostris tradita. Primum est, q̃ nullius rei seu iudicij quempiam magistratum, nedũ ciuem sine prouocatione iudicem atque arbitrum eße uoluerunt, sed omni in re summum ius atq; arbitrium esse consilijs seu collegijs tributum. Alterum uerò nõ minus utile superiore, quòd noluere consilij iudices ore sententias dicere, aut palàm statuere quidnam sentiant, sed clàm suffragijs decernere quod maluerint. Vtrunq; meo iudicio prudentisßimè institutum fuit. Nam quòd summa authoritas nulli magistratui conceßa sit, rectè se habet. Etenim tum periculosum est paucis ciuibus summam cuiuscunq; rei committi: tum

Decernitur pœna qua reus sit afficiendus.

Cõmendantur instituta duo.

illud cauetur, ne si fortè re deliberata cesserit male, ciuitas de paucis ciuibus queri posset. Quòd uerò clàm suffragijs decreta ac iudicia fiant, non minore prudẽtia sancitum est. Nam & iudices liberius iudicant, quàm si palã sententiam dicerent, ubi interdum uel ambitione abducerentur ab æquitate iudicij, uel amici ac benemeriti de se ciuis offensionem uererentur, ac quãdoq; potentioris indignationem extimescerent. Et illud etiam prouisum est, ut quisq; iudicum iudicio suo nitatur, nec ab alterius iudicis authoritate pendeat. Quod facilè accidere posset, si ille qui prior sententiam dixisset, prudentissimus ac scientissimus haberetur. Quocirca nec etiam ab excellentissimis philosophis genus hoc iudiciorum omissum est. Sed ad rem redeo. Postquam omnis ratio iudiciorum à nobis exposita est, reuertar ad quadraginta iudices capitaliũ causarum, de quibus dicere institueram. Horum collegium à ciuitate nostra creatum est, ad quod aduocatores referant de causis capitalibus, eoq; deliberante sontes puniuntur. Ideoq; non nisi in causis grauissimis, ubi etiam Reip. intersit in utram partem iudicium cesserit, aduocatores senatum consulũt. Verùm omnes causæ capitales deferuntur ad hoc quadragintauirale collegium, cuius sententia rata est, nullusq; ab ea amplius est prouocationi locus. Gerunt hi magistratum octimestrem, postquam sedecim menses compleuerint in forensibus causis iudicandis. Tria nanque collegia in Veneta Rep. sunt, quorum quodlibet ex quadraginta iudicibus cõstat. duo forẽsibus causis iudicãdis præfecta

Quadragintauirale collegium.

Collegia tria in Rep. Veneta.

ſunt: tertiũ de quo agitur, capitalibus. Hac tamẽ ratione diſtributa ſunt hæc collegia, ut quamprimũ octo mẽſes magiſtratu functi fuerint capitales hi iudices, ipſi in ordinẽ redigãtur, ac alij quadraginta uiri comitijs magni cõſilij ſufficiãtur. Non tamen hi ſuffecti confeſtim ad iudicãdas capitales cauſas accedũt, ſed collegiũ illud quadragintauirale, quod urbanis cauſis decernẽdis octimeſtri eo tẽporis ſpatio præfectũ fuit, ſubit in locũ capitaliũ qui defuncti ſunt magiſtratu. His uerò forenſibus ac urbanis iudicibus ſuccedunt tertij quadragintauiri, qui itẽ eo octimeſtri interuallo exterorum cauſas iudicarũt, ac in horũ locum illi nuper ſuffecti ſubeunt: ſicq; per uices ijdem iudices & de forenſibus cauſis tũ urbanis tũ exteris, & de capitalibus decernũt, ac totũ bienniũ in his iudicijs uerſantur. Tria hæc iudicũ collegia proprias appellationes habẽt. Primum, ad quod exteræ cauſæ deferuntur, nouum nominatur: Secundum, quod urbanis præfectum eſt, uetus dicitur: Tertium, quod de capite ſontium iudicat, criminale à criminibus nuncupatur. Hi quadragintauiri criminales nuncupati, præterquam quòd in cauſis capitalibus ſummam iudiciorum habent, admittuntur etiam in Senatum, & ius ſuffragij in eo ordine obtinent. Habent præterea Triumuiros ex ſuo ordine, qui ſingulis quibuſque binis menſibus ſorte educuntur, ac per uices ſemper adſident duci & conſiliarijs, paremq; eis authoritatem habent referendi de quacunque re uoluerint ad Senatum, necnon ad magnum conſilium, eo tamen modo quem ſupra tetigi.

Collegium nouum. Collegium uetus. Collegium criminale. Triumuiri.

Nec absq; ratione quadraginta hi iuniores homines Senatoribus, qui plerunq; senes esse solent, commixti sunt, ut scilicet naturalis senum frigiditas, iuuenũ calore tẽperetur. Non tamen iuniores hi senibus numero pares sunt, sed longè pauciores: tot tamen, ut aliquod caloris uestigium in Senatusconsultis apparere atq; inesse queat. Quod quãdoq; in agẽdis rebus perquam necessarium est. Necnon etiam senatoria authoritate quadraginta his uiris cõcessa Reip. *administratio, aliqua in parte communicata uideri potest ciuibus inferioris notæ. quales plerunque hi sunt qui quadragintauiratum gerunt: in quo ordine populari quadam lege usi sunt maiores nostri. Nam tribus his collegijs Quadragintauirûm singulis quibusq; diebus quibus conueniunt, certum stipendium ex ærario cõstitutum est: ideoq; rarò admodum diuites ciues hunc magistratum petunt: facileq;, si petierint, repulsam ferunt. Verùm egenis ciuibus, probis tamen hominibus, facilis est accessus ad hũc honorem. Qua ratione tum inopiæ proborum ciuium aliqua in parte consulitur, tum etiã* Reipublicæ *administratio non tantùm diuitibus & insignioribus ciuibus, quod est optimatiũ status, & paucorum potentiæ commissa est: uerùm etiam aliqua in parte, mediocri tamen, ciues inferioris ordinis ad* Rẽpublicam *accessum habent: qui mos pertinet ad popularem statum. Ex hisce compertum cuilibet esse potest, in omni parte* Reip. *Venetæ temperationem illam apparere, cui in exordio huius opusculi iampridem diximus maiores nostros plurimum studuisse, ut scili-*

cet popularis ſtatus ratio, optimatium gubernationi permixta eſſet, eo tamen temperamento adhibito, ut plures partes optimatium eſſent. Satis iam à nobis dictum reor tum de aduocatoribus, tum de Quadragintauiris cauſarum capitalium iudicibus: qui magiſtratus ſunt inſtituti ut animaduerterent in crimina inſigniora ſeu genere peccati, ſeu conditione peccātium. Nunc tempus poſcere uidetur, ut pauca quædam perſtringamus de nonnullis inferioribus magiſtratibus qui præſunt coërcendis delictis, & malefactis minutioribus & genere ipſo peccati, & perſonæ fortuna. Hi quoq; duplices ſunt. Nam quidam ius capitis habent. Vnus uerò omnium minimus de capite iudicium ferre non poteſt, ſed in uiliſsimos homines, ac in meretrices animaduertunt. Atq; id genus hominum uel uirgis cædi iubet, uel in carcerem conijcit prout quēcunq; peccaſſe conſtiterit. Potior uerò magiſtratus, qui capitis etiam iudicium fert, bipartitus eſt. Nā non ijdem iudices quærunt de crimine, & quæſtioni reum adhibent, ac ſententiam ferūt: ſed priores noctis præfecti totam prius cauſam reorum agitant, ac ſcriptis mandant quæ teſtes dixerint, quæq; uel ſponte uel coacti tormentis rei confesſi fuerint, demū omnem cauſam deferunt ad iudices proprietatum. Alter à priori hic eſt magiſtratus, atq; hi ſententiam ferunt ubi agitur de cauſa capitis. Quòd ſi delictum fuerit leuius, ut tantùm uirgis cædendus, aut carcere aliquot mēſes coërcendus reus eſſe uideatur, noctis præfecti totam cauſam expediunt, neq; quadragintauirale colle-

Leuiorū criminum iudices duplices ſunt.

Præfecti noctis.

Iudices proprietatum.

gium consulunt, siue coniicere quempiam in carcerem uoluerint, siue quæstioni adhibere. Quod tamen ius aduocatorius magistratus minimè habet: uerùm opus est ut prius collegium consulat, aut authoritate decreti collegij illius mitatur. Neq; sine magna ratione hoc ita cõstitutum fuisse uidetur. Nam si pro quolibet crimine etiam reis hominibus qui nihili sunt, consilium consulendum esset, incredibile negocium facesserent Reipublicæ administrationi: sontibus etiam uiris maior peccandi licentia tributa esset, maiori spe impunitatis proposita. Vt ergo iudicia eiuscemodi expeditiora essent, præfecti noctis eã authoritatẽ obtinent qua aduocatores priuati sunt. Præfecti noctis sex sũt. Sex itẽ in minimo eo magistratu cui ius est in infimos tantùm homines, ac in criminibus leuibus. Capita tribuũ ciuitatis appellantur hi qui cum magistratum gerunt, quoniam ex unaquaque tribu (in sex nanque tota ciuitas diuisa est) tum præfectus noctis, tum caput tribus eius eligitur. Quo more etiam uti solemus in consiliarijs eligendis. quod superius nõ omißum à nobis fuit. Vtriusq; præterea magistratus officium est, ut nocturnas excubias per suas tribus agant alternis noctibus, ac uicisſim modò noctis præfectus, modò tribus caput suam tribum circumeant ad gallicinium usque cum publicis stipatoribus ac apparitoribus armatis, ac prouideant ne per nocturnas tenebras, quæ maiorẽ licentiam præstare solent scelestis hominibus, cuipiam fiat iniuria, neue fur clàm domũ quãpiam fodiat, aut ne ullus latro per uias graßetur in quenquam. In primis

Præfecti noctis sex.

Capita tribuum.

Excubiæ nocturnæ.

Venetæ urbis originibus uterq; hic magistratus magnæ erat existimationis: postmodum uerò adiunctis Reip. nouis magistratibus, prout ratio temporum & commoditas exigebat, horum authoritas & dignitas est obscurata, atque summa potestate ad nouos magistratus translata, parua quædam & uiliora negocia ueluti feces in horum subsellijs residere. Hactenus dixisse sufficiat de magistratibus illis qui capitales causas decernunt: de forensibus in sequenti uolumine dicetur.

DE MAGISTRATIB. ET REP. VENETORVM, LIB. IIII.



OS ille in Republica Veneta perpetuus semper fuit, ne quisquam magistratus in maioribus causis summam authoritatem haberet, sed summum illud ius collegiorum seu consiliorũ (ut usitatius loquar) esse uoluerunt. Ideo in forẽsibus quoq; causis quæ summã qnquaginta numorũ aureorum excesserint, nullius magistratus iudicium est, à quo non sit prouocatio ad auditores urbanarum causarum, qui lingua uernacula Veteres appellantur, et ad collegia quadragintauir ũm, de quibus suprà meminimus. Acuti perspicuè tota hæc ratio in-

Forẽses causæ.

Veteres.

diciorum forensium intelligatur, ordiemur ab auditoribus. Hi duplices sunt: recentes inquam, & ueteres. Veteres à uetustate nomen sortiti, quòd hic magistratus apud Venetos multo uetustior sit quàm alter: qui non prius in hanc remp. inductus est. quàm imperium continentis habuerit, multis seculis post urbem conditam. Veteres hi auditores eandem ferè authoritatem obtinent in iudicijs causarum forensium, quæ urbanis iudicibus disceptantibus diiudicantur, quam aduocatores in plerisq; omnibus rebus, siqua in parte uidentur officere legibus, intercedendi inquam. Cum ergo à iudicibus urbanis contra aliquem sententia lata fuerit, licet illi ab eorum iudicio ad auditores prouocare. Causa ad eorum subsellia deducta, ac ultro citroq; agitata ab his inter quos controuersia fuerit, nisi summã excedat quinquaginta numorum aureorum, ac omnes conuenerint in eandem sententiam, possunt ipsi absq; collegio quadragintauirûm rem decernere. Quòd si inter se dissenserint, uel eorum unus authoritatem habet intercedendi: causaq; ea agitatur apud minimum quoddam collegium, in quo uterque auditorum magistratus, ac tres alij iudices conueniunt, ibiq; minores hæ causæ diiudicantur. Quòd si uniuersa causa eã summam excedebat, ante nostram ætatem non poterat ad collegium quadragintauirûm res deduci, nisi aliquis auditorum latæ sententiæ à iudicibus intercesissset, ac de ea ad quadragintauiros retulisset. Nostra uerò tempestate lata lex est, qua conceditur illi contra quẽ priores iudices sententiam pronunciauerint, ut post tres

Auditores duplices.

Iudices urbani.

exactos menses, quanuis nullus auditorum intercesserit, possit diem aduersario dicere, atq; ad collegiũ prouocare. Qua lege auditorum authoritas est ualde imminuta, quanquam eius magistratus iudicium, cum intercedunt, nonnihil ualet ad causam obtinendam. Nam neq; tres menses opperiri oportet, eorúq; intercesio uelut prærogatiua iudicij uidetur esse. Si auditor intercesserit, & prioribus iudicibus diem det, collegiũ quadragintauirûm aditur. Ante nostram ætatem uterque magistratus orabat coram collegio, ac sententiam uterq; suam tuebatur. Sensim uerò per segnitiem iudicum in desuetudinem abijt ut priores iudices quorũ sententiæ intercessum fuerit, intersint cum causa agitatur apud quadragintauiros, nedum orẽt, sed die eis per tabellionem dicto, respõdent ius fieri debere. Mos uerò ille, ut auditores primùm referrent ad collegium de causa cui intercesißent, ac orationem haberent, ad nostra usque tempora deductus est: nunc uerò penitus intercidit: sed patroni tantùm eorum inter quos controuersia fuerit, hoc munere funguntur, atq; tuentur causas clientium suorum. Quibus rebus effectum est ut dignitas auditorij magistratus, quæ olim illustris erat, nostris temporibus admodum obscurata sit, & imminuta. Quadraginta hi iudices urbanarum causarum eundem ferè morem seruant in iudicando, quem diximus seruari solere à iudicibus quadraginta capitalium causarũ. Hoc tantùm discrimen est, quòd in causis in quibus agitur de capite & fortunis reorum, nullum est statutum certum tempus orãdi: in his uerò ur-

Imminuta auditorum authoritas.

Orandi pręfinitũ tẽpus.

bánis litibus præscriptum est temporis interuallum, ultra quod orationem protendere non possunt, id est hora cum dimidia. cuique oranti tantum temporis cõcessum est. Neque in forensibus his causis iudicandis uariæ sententiæ referuntur, ut eam collegium eligat quam maluerit: quemadmodum fieri solere superius dictum est in sumendis pœnis à nequã hominibus, sed tãtùm refertur an lata à iudicibus primis sententia confirmanda sit, an potius abroganda. De abrogatione refert is auditor qui intercesserit. quòd si non fuerit intercessũ, sed sine intercessore causa fuerit ad collegiũ deducta, præfecti collegij perorata causa utrinque referunt non de abroganda, sed de confirmanda sententia lata. Iurati iudices omnes eũt in suffragia. tres urnæ item deferuntur. Viridi abrogatur id de quo relatum fuerit: Candida approbatur: Rubea eis destinata est quibus nõdum liqueat, sed uelint causam ampliari: nihilque decretũ habetur, nisi plures quàm dimidij approbauerint, aut abrogauerint. Quòd si tot iudicibus nondum liqueat, ac in neutram partem iudicium factũ sit, causa pronunciatur ampliata fuisse ad alteram diem, qua eadem ferè repetuntur. Quòd si etiam ea die iudicium pendeat, tertiò cogitur collegium, causa repetitur: qua perorata utrinque itur in suffragia, neque ulla amplius ratio habetur eorum iudicum quibus nondum liqueat. Quare nisi suffragia paria fuerint, in alteram partem decretum fit, siue de abroganda, siue de confirmanda sententia lata. Abrogata sententia non adimitur actori potestas, quin de eadẽ re iudi-

cũ repetere posſit. Nihil enim abrogatione ſtatuitur ſed tantùm lata ſententia antiquatur. Confirmatione uerò & approbatione rata fit ſententia quam priores iudices pronunciarunt, neque amplius prouocationi eſt locus, neque iudicium repeti poteſt ſuper eadem re, niſi cauſæ accedat quidpiam noui. Satis hactenus de auditoribus ueteribus dictum: nunc pauca quædam de recẽtioribus perſtringamus. Hic magiſtratus in noſtra rep. non fuit prius inſtitutus, quàm in continẽtem æſtuarijs hiſce finitimam Venetum imperium extendi cœpit. Ad hos prouocatio eſt à iudicijs prætorum, aliorúmue magiſtratuum qui extra urbem ius dicunt populis qui uenerunt in noſtram ſocietatem. Nã ueteres auditores utriſque, urbanis inquam et exteris cauſis minimè ſatisfacere poterant: quamobrem eam etiam appellationem ſortitus eſt, ut nouorum ſiue recentium diceretur. Nam poſt conſtitutam rempublicam imperium Venetum extendi cœpit in Venetam oram, quæ ad ueteres dominos ueluti quodam poſtliminio uolẽs ac libẽs redijt. Etenim, ut in exordio operis oſtendimus, nobiliſſimi quique Venetæ prouinciæ, Barbarorum impetum, & deuaſtationem totius Italiæ fugientes, ſe in noſtra æſtuaria receperunt, ac urbem hanc opulentiſſimam condidere, cui etiam indiderunt nomen Venetias multitudinis numero, ut ſignificatum poſteris eſſet eò omnium ciuitatum Venetæ regionis nobilitatis florem conueniſſe. Igitur cum breui imperium Venetum magnopere creuiſſet, nequaquam unus auditorum magiſtratus urbanis & exteris cau-

Auditores recẽtiores.

Venetiarũ nomen.

sis satis esse poterat: idcirco nouus hic institutus, nouumq; quadragintauirale collegium: & prouocatio ab illis qui extra urbem ius dicunt, ad horum subsellia defertur, atque hoc collegio disceptante omnes eiusmodi causæ decernuntur. Eademq; in omnibus ratio est, párq; modus huius magistratus & collegij, quem modo explicuimus seruari solere ab auditoribus ueteribus & collegio quadragintauirali causarum urbanarum iudice. Illud tantùm ius additũ est auditoribus recentibus, quòd in causis quæ summam quinquaginta nummorum aureorum non excesserint, latam sententiam, à qua adeò sit prouocatum, moderari queunt, ac eius partem (si ita ipsis uideatur) abrogare, partem uerò comprobare, dummodo omnes conueniant in eandem sentẽtiam. Quod ea de causa est institutum, ne exteris hominibus & aduenis, quorum præcipuè rationem haberi debere summi philosophi prodidere, maius negotium fieret, sed sine magno rei familiaris dispẽdio exitum litium inuenirent. Hoc iure ueteres priuati sunt, sed necesse eis est ut uel totam sententiam approbent, uel totam rescindant, atq; irritam faciãt. Sic in intercedendo parti intercedere possunt hi noui reliquis omissis: ueteres econtra uel toti intercedũt, uel uniuersam integram dimittunt. Hoc pacto exterorum lites breuiori temporis spatio diiudicantur, quàm causæ urbanæ. Quanuis patronorum & iurecõsultorum uersutia, quæ nihil contra fas etiam intentatum relinquit, in immensum quæuis lites protrahantur. Quod ubique gentium euenire solet, ubi non temere, sed statuto

Patronorũ & iureconsultorũ uersutia.

tuto ordine iudicia fiunt. Explicata ferè à nobis est uniuersa ratio iudiciorum: illud restat, ut paucis perstringamus eos magistratus qui primi in causis urbanis ius dicunt, à quibus prouocationes fiunt ad ueteres auditores, & ad collegium quadragintauirorum. Horum iudicum sex sunt subsellia pro qualitate causarum ac personarum distributa. Nam uel lites sunt de mercatura, rebúsq; ad negotiatores spectantibus, uel de ædibus ac fundis quæ intra æstuaria fuerint; aut de possessionibus agrísue quæ sunt in terra continenti, aut de quibusuis alijs contractibus, stipulationibus. Personæ quoq; quæ lites inter se conferunt, aut sunt ciues, aut exteri, seu ciues cum exteris, uel demũ cum pupillis res habetur: aut agunt fœminæ uiduæ apud iudices post obitum mariti de dotibus recuperãdis. Ne ergo inter tot diuersorum generũ iudicia turbatio esset, ac ne aliud alij impedimentum afferret, plura instituta fuerunt iudicum subsellia, ita ut quantum fieri posset, unusquisque pro ratione negotij ac litis suos iudices agnosceret. Lites omnes quæ pertinent ad ædes ac fundos intra fines Venetiarum positos, id est in æstuarijs existentes, diiudicantur à iudicibus qui proprietatum iudices nominantur, quos etiam adeunt uiduæ cum dotes suas repetere uoluerint ab hæredibus defuncti mariti. Hanc appellationem hi iudices habuerunt, quòd maiores nostri ea tantùm ciuium suorum propria existimauerunt, quæ essent in æstuarijs posita, utpote quæ ad alienos dominos non facilè trãsferri possent: Cætera uerò in continenti existentia,

Iudices proprietatum.

ſiue domus, ſiue agri fuiſſent, mobilia dici uoluerunt, utpote quæ facilè etiam ab inuitis dominis poſſent au ferri, ac iniuriæ magis expoſita eſſent. Quòd ſi controuerſia fuerit de fundis continentis oræ, adeũdi ſunt iudices procuratorum. Iiſdem iudicibus contendas cũ pupillis qui tutores adhuc habeant. Qua de re hi iudices etiam id nomen obtinuerunt. Nam apud Venetos, curatores ac tutores, procuratores conſueuerunt appellari. Si autẽ lis inciderit de mercimonijs, & ad mercaturam pertineat, adeuntur ſubſellia iudicum qui ex ea re iudices ſeu conſules mercatorum nominantur. Hi maiori quodam compendio iudicant, quàm alij forenſes magiſtratus. Quod ea eſt ratione inſtitutum, ne longioribus litibus impedimentum moráue fieret negotijs mercatorum, quæ exigunt aßiduam quandã operã. At ſi inter exteros homines lis fuerit, uel quiſpiã ciuium hoſpiti diem dixerit, accedat opus eſt ad iudices qui ab aduenis nomen habent. Cæteræ uerò quæcunq; cauſæ, contractus ac ſtipulationes, ex quibus quiſpiam ab alio ſibi aliquid deberi contendat, idq; iudicio petat. utitur iudicibus qui petitionum nuncupantur. Hi uicem gerunt prætoris urbani. Sunt præterea minimæ quædam lites, quibus diiudicandis præfecti ſunt iudices mobiliũ dicti. Eſt præter hos magiſtratus alius, qui ſi quid inuentum fuerit aut olim reconditum, aut nuper perditum, decernit an ad ærarium, an ad priuatum quempiam, ſiue ad eum qui repererit, res ea pertineat, omnéſq; huiuſmodi cõtrouerſias diiudicat. Expedita uniuerſa iudiciorum ratione, ad eos magiſtra-

Iudices procuratorum.

Iudices ſeu cõſules mercatorum.

Iudices aduenarum.

Iudices petitionum.

Iudices mobilium.

Iudices rerum inuentarum.

tus accedamus qui ærarij curam habent, quibúsq; admi nistratio publicæ pecuniæ commissa est. Hi fortasse ali cui plures esse uidebuntur quàm par sit, ac pauciorbus uniuersæ rei pecuniariæ satisfieri posse. Verùm hac in parte id est animaduertẽdum, patres nostros summã diligentiam adhibuisse ne in administrandis pecunijs publicis aliqua fraus fieret. Nã arbitrati sunt ex æra rio ueluti alimentum suppeditari uniuersis reip. partibus: quo deficiẽte, seu imminuto, deficere quoq; rẽp. aut minui opus esse. Quocirca legem etiam fecerunt, qua sancitum est, ut si quis ciuis peculatus dãnatus fue rit, perpetua ignominiæ nota singulo quoq; anno repetita inuratur. Nã maiori consilio coacto, in cõcione ciuium omniũ statuta die ab aduocatore pronũciantur uincti eo crimine damnati, ut perpetuæ ignominiæ pœnas luant qui tantum scelus ausi sunt. Sed ne ab instituto longius digrediamur, magistratus qui ærarij curam habent, duorũ ueluti generũ sunt: qua ratione publicæ quoq; pecuniæ diuisæ sunt. Nam uel ex publicis uectigalibus in ærariũ conferũtur, uel soluũtur à ciuibus pro cuiusq; censu, cum reip. impensis interdũ reditus publici minimè satisfacere posse uideantur, mari aut terra ingruẽtibus bellis, quibus frequẽter ciuitas nostra uexari solet siue Turcis irruentibus in nostrã ditionem, quorum impetũ non sine maximo detrimẽto cõplures annos sustinuimus, ac acerbissimũ hostem sæuitatem in uniuersam rem Christianã cõtinuimus: siue Christianis principibus, quibus amplitudo imperij Veneti quãdoq; officit, in perniciẽ nostrã conspirantibus,

Præfecti ærario.

ut anno abhinc quintodecimo, cum omnes ferè Christiani principes inito inter se fœdere, in exitium nostri imperij conspirarunt. Sed Deo bene iuuante impetus omnium represſi sunt, ac res penè collapsa in integrum est restituta. Duplex ergo cũ sit genus pecuniæ publicæ, duplices quoq; magistratus ei rei præfecti sunt. Nam quidam præficiuntur pecuniæ ex censu à ciuibus collatæ: alij uerò reditibus ac uectigalibus Reipublicæ. Vectigalium quædam exiguntur ex his quæ exportantur ex urbe, aut in urbem importantur: quædam uerò ex ciuitatibus quæ in societatem Veneti imperij sunt adſcitæ. Vrbana uectigalia tum propter maximam mercium copiam, ac mercatorum conuentum, tum ob ingentem homiuum multitudinem qui hanc ciuitatem colunt, maiora sunt quàm quæ sibi quispiam persuaserit. Mercium rerumq; urbanarum genera uario sunt, quæ uel ab urbe exportantur, uel inuehuntur in urbem. Ideo diuersi quoq; magistratus sunt instituti, prout scilicet commodum fuisse uisum fuit, qui præsunt exigendis & locandis hisce uectigalibus: quos singulatim si enumerarem fastidio potius afficerem auditorem, quàm quòd ex ea narratione aliquid uoluptatis aut utilitatis accessurum fuerit. Illos etiam magistratus prætereundos duco, qui temporarij sunt, quòd interdum ratio temporum ita poscere uidetur. In summa, horum omnium magistratuum illud officium est, ut caueant ne per dolum aliquid pecuniæ publicæ auertatur, aut per inertiã pereat. Ipsi etiam diiudicant cõtrouersias omnes quæ ad id genus

Duplices pecuniæ publicæ.

Magistratus temporarij.

pecuniæ pertineant. Omnis uerò ea pecunia quæ ab hisce magistratibus exigitur, cõtinuò defertur ad gubernatores redituum publicorum. Eam nanque appellationẽ is magistratus obtinuit, qui huic summæ præfectus est. Ac quoniam ea cura magni momenti habetur, non nisi insignioribus ciuibus deferri solet: qui ut libentius hoc munus sibi peterent, seu demandatũ ne reijcerent, magnum emolumentum adiunctum fuit oneri alioquin graui, authoritas quoque non contemnenda. Nam hi creant apparitores, uiatores, lictores, omneq; id genus ministrorum Reip. quibus cunctis ex ære publico stipendium persoluitur. Id uerò quod reliquum fuerit, defertur ad quæstores urbanos ad quem magistratum tandem omnis summa æris publici peruenit, à quibusuis quæstoribus extiterit ac magistratibus allata, qui siue extra urbem, siue in urbe, pecuniæ publicæ exigendæ curam habent. At urbani hi quæstores impendunt eam pecuniam ex decreto Senatus in usus publicos: in codicibusq; suis & acceptum referunt, & expensum ferũt. Quod munus cum operosum sit, laborisq; non exigui, ideo committi consueuit ciuibus iunioribus, qui tamen clari sint tum nobilitate generis, tum innocentia uitæ, ne scilicet æs publicum quapiam ratione in rem priuatam auertatur. Quocirca datum est urbanis quæstoribus ius Senatorium, idem propemodum quod legitimi senatores habent. Pecunia uerò quæ ex censu a ciuibus confertur in angustijs Reip. quanuis tandem omnis ad urbanos quæstores confluat, habet tamen quosdã proprios

Gubernatores redituũ publicorũ.

Ministri Reip. Quæstores vrbani.

Pecuniæ ex censu conferendæ ratio multiplex.

magistratus. Nam interdum senatusconsultum de conferenda ex censu pecunia ea ratione fit, ut nulla mentio habeatur neque de restituẽdo eo ære, nec de aliquo emolumento ciuibus erogando, qui ex sua re priuata pecuniam eam cõtulerint. quod tamen raró admodum fieri consueuit. Nam plerũq;, quin potius semper, nisi res contrà postulet, Senatus ita Reip. consultum esse uult, ut tamen priuatorum res non negligãtur. Promulgato igitur senatusconsulto ac facto de pecunia ex censu conferenda, ac tempore constituto quod cõmodũ uisum fuerit, intra id tempus unusquisque ciuiũ eã summã persoluit, quam ex censu debet. Exigunt autem gubernatores redituum, ac deferunt ad quæstores urbanos. Sæpenumero tamen ea ratione senatusconsultũ fit de pecunia ex censu conferenda, ut post certum temporis spacium restitui incipiat ciuibus qui eam soluerint, aliquo etiam emolumento adiuncto: certaq; uectigalia delegentur in eam rem. Interdum uerò senatusconsultum de collatitia ex censu pecunia, ea conditione fieri solebat ante nostram tempestatem, ut de reddenda nulla fieret mentio, neq; ullum certum tẽpus statueretur, nisi cum commodum Reip. fuisset. Sed magistratus qui præfectus mutuis dicebatur (quod nomen adhuc retinet) acceptam ab unoquoq; ciuium eam uim pecuniæ in codices referebat: ac interim donec restitueretur, singulo quoque anno quinq; numi aurei pro centum collatis ueluti in uicem reditus priuatis ciuibus creditoribus numerabantur: ac in eum usum pleraq; uectigalia adsignata erant, Qua rõne priscis bel

Præfectus mutuis.

lis facilis erat exactio pecuniæ quæ ex censu soluebatur. Neq; iniquum existimari debet, ut ciuibus qui rem familiarem in temporibus Reip. necessarijs cōsumpserant, aut magna ex parte imminuerāt, uicißim aliquid impendij daretur ex reditibus publicis. Nam quemadmodum partes totius incolumitati consulere debēt, ita natura cōparatum est, ut totum uicissim curam habeat ne magnum incommodū partes patiantur: sed pro uiribus prouideat ut incolumes perdurent, alimentaq; impartiant, quò reficiantur, ac conseruentur. Verùm nostra ætate hoc æs alienum Reip. *adeò ingēs erat, ut in emolumento eo quod diximus ciuibus erogando trecentûm ferè numorū aureorū millia singulis quibusq; annis expenderentur. Quorū solutio proximis annis propter angustissima tēpora* Reip. *cū intermißa fuisset, tandē quarto abhinc anno factum est senatusconsultū, referētibus* Dominico Triuisano *Senatore āplissimo, ac* Andrea Gritto, *cuius ducis auspicijs nūc Resp. Veneta regitur, sapiētißimo atq; integerrimo Senatore, ut nulla amplius emolumenti erogandi mentio fieret, neq; in codicibus publicis post id tempus id æris ciuibus acceptum referretur. Verùm ne omnino à* Rep. *fraudati eße uiderentur, capitis restitutioni, necnon etiam emolumēti quod ad eam diem eis debebatur, tum multa uectigalia asßignata sunt, tum* Reip. *poßeßiones omnes in agro* Rhodigiēsi *positæ sunt distributæ. Cuius muneris maxima parti functi nos sumus, qui illo tempore magistratū illum gerebamus, qui ante nostra tēpora īstitutus præcipuè fuerat ad huiusmodi æs*

Dominicus Triuisanus & Andreas Grittus cōsules.

Ager Rhodigiensis.

alienum Reip. minuendum, aut, si fieri potuisset, extinguendum. De quo pauca infrà dicemus. Sicq; magna pars ingẽtis ac incredibilis ferè publici æris alieni imminuta fuit, necnon priuatorum ciuium facultatibus satis commodè consultum, ita tamen, ut prior semper ac potior fuerit Reip. ratio, quàm priuati cõmodi. Quod institutum à maioribus nostris ad hæc usque tempora per manus deductum est, ne qua scilicet ratione pluris à nobis habeatur res priuata, quã publica. Vt ergo redeamus unde diuertit oratio, præfecti mutuis eam pecuniam exigunt, quæ à priuatis ex censu confertur in Reip. usus necessarios, atque acceptum referunt in suos codices, ac demum numerant quæstoribus urbanis. Iidemq; præfecti curam habent exigẽdi à quæstoribus urbanis eam summam pecuniæ quæ quotannis erogari solebat in uicem reditus ciuibus priuatis, eamq; & acceptam & expensam in suos codices referebant. Pecunia uerò quæ ea lege ex senatusconsulto erogatur à priuatis, ut certo tempore restitui debeat, à proprio quodam magistratu & exigi & restitui solebat. Nunc uniuersum id munus gubernatoribus redituũ demandatum est. Alius præter hos est pecuniarius magistratus, non prætereundus, qui in eam curam incumbit, ut ciues ærarios factos eò quòd constituto tempore non persoluerint pecuniam quam ex censu debent, inuestiget, eorumq; bona publicet, ac tandem sub hasta uendat. Nõnulli præterea sunt alij pecuniarij magistratus, à quibus ærarij inuestigantur, ac rationes in publicis codicibus priuatorum ac

Pecuniarius magistratus.

Reip. diligenter inſpiciuntur, ne qua fraus publicis reditibus atque ærario fieri poſsit. Quos cõſultò prætereundos exiſtimo, ne tædio lectorem afficiam. neque enim momenti quidpiam habent ad Reip. gubernationem, quam potiſsimùm hoc opere mihi exponendam inſtitui. Præter hos magiſtratus nonnulli etiam reliqui ſunt, qui multum faciunt ad ciuitatis commodum, & ad bene beateq; uiuendum, ideoq; non à nobis omittendi. Primi nobis ſe offerunt præſides cudendæ monetæ aureæ, argenteæq;, qua maximè continentur commercia ciuium cùm exteris hominibus, & ſecum uiciſsim: dein annonæ triticeæ præfecti: itemq; præfecti ſalubritati. Venetæ ciuitatis: ſine quibus uita conſtare nõ poteſt. Necnon etiam præſides ampliſsimi naualis. Aediles quoque, qui uiarum, pontium, ac huius generis rerum reſarciendarum curam habent, perquam neceſſarij ſunt. Ac demum ampliſsimus magiſtratus quẽ Procuratorium Veneti appellant, maximè eſt ciuitati noſtræ opportunus. De præfectis monetæ nihil eſt amplius quod dicamus, niſi quòd eius magiſtratus intereſt prouidere ne argẽtum aut aurũ imperfectius ac impurius quàm id qđ lex ſtatuit cudi debere, aliquo pacto cudatur, néue excuſi numi pondere minores ſint, quàm lex iubeat. Quod ſanctiſsimè apud nos obſeruatũ fuit. Quamobrem in maximo pretio apud omnes nationes Barbaras, nedum apud Chriſtianos Veneti numi ſemper fuerunt, hodieq; ſunt. Cæteri nanq; principes plerique omnes impurius aliquanto argentum atq; aurũ cuderunt, ut facilius impenſis ſatisfacere poſſent. At

Aediles.

Procuratorius magiſtratus.

Præfecti monetæ.

nostri constantissimè semper hac in parte dignitatē à maioribus acceptam retinuere. Magistratus uerò qui

Præfectus annonæ triticeæ.

præest annonæ triticeæ, maximè, necessarius est Venetæ ciuitati. Etenim cum nulla propè frumenti uis ex agro Veneto colligatur, quòd omni ex parte urbs æstuarijs amplissimis ambiatur, ac ciuitas populosissima existat, opus est rei frumentariæ magnam curam haberi, nequando populus, cuius cōmodo maximè consultū esse maiores nostri uoluerunt, inopia rei frumentariæ laboret, ac prematur nimia annonæ caritate. Idcirco rei frumentariæ tres præfecti sunt, qui sedecim mensibus magistratum gerunt. Horum officiū est prouidere ne ciuitas unquā laboret inopia frumenti: quæ siquando timetur, Principem, Sapiētumq; collegium adeunt, ac re inter eos discussa decernunt quæ ad comparandam frumenti copiam præcipua esse uideantur. Quādoque solet etiam merces certa constitui ex ærario his qui ex longinquioribus regionibus frumentum Venetias uexerint. Interdum ære publico triticum mercantur à negociatoribus, qui polliceātur certā uim frumēti statuto tēpore ex destinatis etiā prouincijs se Venetias delaturos: quod ni præstent, pecuniaria mulcta taxantur: Emitq; Respublica magno precio, ac uili uendit, ut commodo populi atq; inopiæ consulatur. Qua in re interdum magnam iacturam ærarium facit. De re frumentaria præterea plurimæ sunt leges, pulcherrimaq; instituta: quæ si in præsentia recenserem, longius quā par sit, ab instituto digrederer. Sequitur ma

Præfectus salubritati.

gistratus is cui salubritas urbis est curæ. Huius præci

puum munus est prouidere ne aliquo pacto ex contagione tabes serpat in ciuitatem. Quòd si clàm quandoque obrepserit, ut interdum accidere solet, sedulò operā dat, ne latius uagetur. Qua de re ædes publicæ amplißimæ sunt ædificatæ in æstuarijs, trium millium passuū ab urbe interuallo, quibus finitimi sunt horti pulchrè consiti: in quas, si quis ex plebe eo morbo ægrotare cœperit, confestim defertur cum tota familia. Hi uero qui cum eo dum ægrotat consuetudinem aliquam habuerint, opus est, ne alios inficiant, ut proprios lares deserāt, concedantq; ad alias ædes publicas itidem extra urbem conditas, regione à prioribus longè diuersa: ibiq; quadraginta dies detinentur: quibus si sani perstiterint, ciuitati ac domesticis laribus restituūtur. Supellectilis etiam magna cura habetur, ne eius contagione quispiam inficiatur. Hic quoq; magistratus prouidet ne quid putridum, aut quod incolumitati ciuitatis officere posit, uendatur: & demum sedulò curat ut quamsaluberrimè Venetijs degatur. Nam non multò ante nostram tempestatem hoc præfectorum genus institutum fuit: & cum antea sæpius ciuitas pestilentia laborasset, adeò ut quandoque pleriq; homines deseruerint proprios lares ob ingruentem uim tabis, ac in continentem proximam secesserint: nunquam tamen postquam hæc cura nouo huic magistratui demandata est, diuino numine fauente, Veneta ciuitas huiusmodi morbo grauius uexata est: licet interdum, quod in magna frequentia hominum undique conuenientium euitari nō potuit, nonnullæ domus fuerint infectæ:

cura uerò huius magistratus, atque ope à deo præstita, malum latius euagari non potuit. Nunc dicendum est de præfectis amplissimi Naualis: quod certè magno est ornamento non solùm Venetæ urbi, sed etiam uniuersæ Italiæ, ac Reip. nostræ non mediocrem dignitatem affert. Immensum nanq; opus est, & admiratione dignissimum. Nam in urbis regione quæ præ alijs mari uicina est, ac propterea maximè commoda, Nauale amplissimum est ædificatum, ac excauatum in tres sinus, seu recessus, si malueris hoc uocabulo uti, intra quos mare recipitur unico tantùm ostio, tam lato, ut etiam sit satis amplum ad maximas triremes capiundas. Munitum est ostium duabus turribus ex utraq; parte. iunctæ hæ sunt ponte sublicio, ac portis cancellatis, quæ nunquam reserantur nisi cum opus sit triremes educere, seu in nauale inducere. Nullibi. nanq; aditus ad interiora naualis patet, præterquam hoc tantùm ostio. Ingredientibus primus sinus occurrit omnium minimus, amplus tamen. hic undiq; circùm tecta habet in fornicis modum ædificata, contignationibus ac tegulis contecta. Sub hæc triremes è mari subducũtur, ibidémq; ab omni uentorum atq; pluuiarum iniuria tutæ perdurant, quoad eis uti libeat. ea ratione multos annos incolumes perseuerant. Nouas item sub eisdem tectis ædificant, ac ueteres resarciunt. Magnum sanè opus, quod & maximo ornamento sit, & utilissimum ad fabricam nauium. Post hũc sinum alius est interior amplissimus, circùm omni ex parte tectis huiusmodi, quem dixi, instructus: nec ullum ex eis inspicias trire-

Præfecti Naualis.

Naualis Veneti descriptio.

mibus uacuum, sed binis, si tecta fuerint latiora: siue singulis, si angustiora. Tertius uerò non minor secundo paulò ante nostram ætatem superioribus additus fuit circunseptúsque mœnibus pulcherrimis. In eo autem plura sunt tecta ædificata, quanuis non sint adhuc omni ex pvrte perfecta: uerùm cum summa diligentia opera datur, ut ei fabricæ extrema manus imponatur. Tres hi recessus inuicem peruij sunt, ac unico muro ambiuntur, nonnullis turribus distincto, in quibus uigiles noctu excubias exercent, ne quid detrimēti tam insigne opus accipiat ui ignis iniecti, seu dolo facinorosi cuiuspiam, seu quopiam casu, ut interdum euenire solet. Intra hæc mœnia sunt tabernæ amplissimæ armamentorum, uniuersæq; nauticæ suppellectilis: ac fabri cuiuscunque generis quod ad rem naualem pertineat, suas officinas ibidem habent. Ibi etiam æs funditur ad tormēta conficienda. Magna ibi quoq; copia illius pulueris cuius ui tormenta excutiuntur: adeò ut nihil quod ad rem nauticā faciat, in eo nauali desiderari queat. Intueri ibidem licet ingentem fabrorum multitudinem, quorum quisque suo munere fungitur. Sunt præterea nonnulla atria bene ampla, in quibus ingens armorum copia, tormentorum ac telorum, seruatur ad usus belli: necnon magna uis uelorum, remorum, armamentorumq; omniū in suis quæq; cellis condita est, ut cum senatus armandā classem decreuerit, omnia in promptu sint quæ ad rempublicam requiruntur. His rebus officijq; omnibus hic magistratus de quo dicere institueram, præfectus est, ac omnia

prouidet curátue quæ in usum naualis fuerint. Hic seligit fabros tum lignarios, tum ærarios, cæterósq; opifices qui admitti debeant ad opus faciendum. diligentẽ quoq; impendit operam ne quispiam officio suo desit. Huic magistratui numeratur pecunia ex ærario in usus naualis, non prius tamen quàm collegium consulatur, ac rationes à patribus illis uideantur. Apud maiores nostros, apud quos res maritimæ in magno precio erant, hic honos magnus habebatur: temporibus tamẽ nostris magistratus huius dignitas est imminuta, ac pene intercidit. Quo fit, ut siquando opus fuerit in ea re opera diligẽtiori, alios senatores primæ existimatiõis ciues senatus nauali præficiat, qui in priores ius habeant, hisq; ueluti ministris utãtur. Sequuntur postremo loco à nobis recẽsendi diui Marci procuratores, ãplissimus omnium, præter ducem, magistratus: quippe qui præfinitum tempus non habeat, sed cũ uita perduret. Huic honori cõiuncta est perpetua dignitas senatorij ordinis, ac ius suffragij æquum cum legitimis senatoribus. Illud etiam præ alijs omnibus magistratibus obtinuerunt. Nam cum cæteris non cedatur à senioribus ciuibus, nisi certis locis, ac certis subsellijs: procuratoribus ubique idem honos præstatur, ubique loco ceditur, ac digniori sede semper honestantur, ac si in quouis loco magistratus munere fungerentur. Horum officium est tutelam pupillorum habere, quibus minori ætate existentibus nullus defuncto parente ex testamẽto tutor sit institutus. Veluti ergo publici quidã tutores à republica sũt instituti hi diui Marci pro-

Diui Marci ꝓcuratores

curatores. Quod munus cũ egregiam fidẽ, ac sanctita tẽ uitæ præcipuã exigat, ij ciues huic officio delegantur, qui iam publicis ferè omnibus muneribus defuncti, spectatæq; fuerint probitatis: in quo uersantes tã quam militea emeriti perpetuã obtinent reip. administrandæ potestatem. Priscis temporibus tã magna fuit non tantùm Venetijs, uerumetiã apud exteras nationes existimatio huius magistratus, ut plerique exteri homines, nedum indigenæ, testamento instituerint hosce procuratores hæredum suorum tutores, ac totius rei domesticæ curatores. Quorum fidei magna pecuniæ uis dauperibus eroganda cõmißa fuit, adeò ut nostris quoq; temporibus ingentes opes ab hoc magistratu administrentur, ac pro horũ arbitrio in usum pauperum distribuãtur. Hic magistratus institutus initio fuit ne hæreditates ciuium qui pro tuenda seu etiã amplificanda republica apud exteras nationes excederẽt aut studio rei familiaris negotijs ac mercimonijs occupati peregrè morerentur nullo condito testamento, per fraudem quampiam ab hæredibus pupillis auerterentur. Qua de causa effectum est, ut ciuibus illis publicè ea cura sit demandata, de quorũ probitate omnibus compertum sit. Principio tres fuere: aucta deinde ciuitate tres alij additi, hac tamen ratione distributi, ut tres habeant curam pupillorum qui citra Riuum magnum (qui urbem mediam interfluit) habitant: tres item curent eos qui ultra Riuum magnum proprios habent lares: ut dimidiam urbem alteri, item dimidiam posteriores curẽt. Tres uerò præter hos patroni

sunt amplissimi atque augustissimi templi quod diuo Marco Euangelistæ dicatū est, sub cuius numine Respublica Veneta bonis legibus aucta est, & ditione imperij creuit. Ab his postremis tanquam à nobilioribus nomen in omnibus deductum est ut diui Marci procuratores appellentur. Nolo nunc aliquid dicere de huius templi structura, ac marmorum copia, columnarū frequētia ex porphyritide ac prasio lapide, opere tessellato, atque aurato, quo tamen laquearia, fornicésq; omnes templi confecti sunt, tum demum pauimentum uniuersum stratum: cum multi mortalium id uiderint, ac omnes ferè fama perceperint. Templi huius instaurationi, si qua in parte quippiā labascit, necnon sacerdotibus templi hi tres procuratores præsunt, ac prouident ut pro ciuitatis dignitate illustrissimi patroni nostri Marci euangelistæ Deus optimus in eo templo piè colatur. Hi magistratus sunt præter cæteros qui meo iudicio perquam necessarij uideri debent ad bene beateq; uiuendum. Nam & monetæ cudendæ cura nequaquam negligenda est, qua omnia commercia ciuium continentur: & annonæ triticeæ copia sedulò procuranda est: nec minor habenda est ratio bonæ ualetudinis ciuium: miniméque prætereunda fuit uiarū ac pontium idq; genus ædificiorum instauratio. Hæc communia cuique ciuitati. Illa uerò ad Venetias magis attinent, rei scilicet maritimæ procuratio, ac pupillorum tutela, cum multi ciuium tum propter publica negotia, tum propter mercaturæ industriam peregrè diem obeant. Idcirco magistratus qui his muneribus

Templum diui Marci.

incumbant,

incumbant, publicè instituti sunt: ut nulla in parte bono communi maiores nostri defuisse uideantur, si quis diligenter omnem huius reipublicæ institutionem animaduerterit.

DE MAGISTRATIB. ET REP. VENETORVM. LIB. V.



OSTQVAM omnis ferè ratio gubernationis reipublicæ à nobis exposita est, ac recẽsiti omnes magistratus urbani, non importunam alienámue ab instituto opere rem facturus uideor, si uerba fecero de magistratibus exteris, ijs scilicet quibus ciuitates quæ in nostram societatem uenerunt, regi soleant: necnon de militaribus imperijs, ac demum de muneribus aliorum ciuium qui non sunt patricij ordinis. His etenim expositis, summa manus operi instituto commodè imposita esse iure merito uideri poterit. Insignioribus ciuitatibus quæ sub ditione nostra sunt, quatuor magistratus præficiuntur. Prætor unus ius dicit omnibus, et forenses lites diiudicat, ac in sontes animaduertit. Habet prætor in iudicijs proferendis assessores, homines iurisperitos, quorum consilio utitur, licet apud prætorem sit omnis authoritas. Præter hunc est præfectus. is præest militibus qui uel urbem uel agrum urbis co-

Magistratus exteri.

Prętor.

Præfectus.

luerint. In hos nullum est ius prætoris: præfectus tantùm in eos ius habet. Præterea arcis, mœnium, portarúmq; cura est præfecto demandata, necnon uectigaliũ ac redituum omnium tum urbis, tum agri totius. Præter hos est quæstor unus aut duo. Hic pecuniam publicam administrat, exigit, impẽdit, habétq; codices rationum publicarum: nihil tamen ferè agit nisi ex mandato præfecti, ac interdum utriusq; magistratus, prætoris uidelicet, ac præfecti. Ea enim ratio pecuniæ administrandæ utilior uisa est, quàm si penes eundem esset & authoritas & administratio ærarij. facilius nanque liceret per fraudem ærarium peculari. Id uerò pecuniæ quod reliquum fuerit ab impensis, defertur Venetias ad quæstores urbanos, ad quos undiq; pecuniæ publicæ conferuntur: ut suprà diximus. Quartus quĩ magistratum gerit in unaquaque urbium, est arcium custos. alibi unus, alibi plures hi sunt. militibus hi præsident qui arcem tuentur, curámq; habent armorum, commeatus, ac tormentorum quæ reposita in arce sunt ad munitionem contra hostes. Non tamen ita custos præest arci, quin subiectus sit præfecti imperio, cui tributum est omne ius omnísque potestas in rebus huius generis curandis. In minoribus ciuitatibus nullus præfectus est, sed prætor utriusque partes agit. Ac in oppidis quæ in agris maiorum urbium frequentia sunt, solus est prætor qui ius dicit oppidanis, præterea nullus magistratus. Nam quæstores ac præfecti principum urbium in uniuerso quoque agro ius suum obtinent. A prætoribus omnibus ad audito-

Quæstor.

Arcium custos.

res nouos prouocatio est. Aduocatores etiam quandoque intercedere solebant sententijs prætorum capitalibus. Sed quoniam usuuenire plerunque solitum erat, ut iudicia protraherentur, neque sontes criminum ac scelerum pœnas darent, lata lex fuit à decemuirûm collegio, minimè id iuris aduocatoribus amplius esse in sententijs quæ à prætoribus pronunciatæ essent aßidentibus iurisperitis, quos secum comites ducunt, ut suprà dixi. Hactenus satis tractatum est de magistratibus quibus respublica tum domi tum foris administratur. Verùm quoniam non tantùm pacis, sed etiam belli gerendi ratio habenda est, quam uniuersam qui neglexere, ut inquit Plato in Politico, nequaquam libertatē diutius tueri queunt: ideo qui rectè rei publicæ institutionem posteris tradiderunt, illud in primis admonitos esse uoluere, ut ciues instituantur ad utrunque munus, ut scilicet bello gerendo idonei sint, & in pace domi subiecti legibus institutísque patrijs in præclara aliqua functione uiuant, ita tamen, ut uirtutes artésque bellicæ referantur ad studia pacis tanquam ad potiora. Vnaquæque etenim res eam habet à natura insitam uim, ut primùm bonum sibi quæque conueniens appetat, deinde ut contrario obsistat, nitatúrque quantum poßit à se iniuriam propulsare. quæ uires in animante natura omnium perfectissimo lucidius dignoscuntur. Nam unicuique animali tributa est uis appetendi, qua prosequatur id quod naturæ suæ fuerit consentaneū. Præter hanc unicuiq; adiecta fuit uis irascendi, quam Plato in corde atque in præcordiis

Appetitiua uis.
Irascibilis uis.

collocauit, ut ſcilicet animal quodcunque eius uirtutis ſtimulis actum, contrarium naturæq; repugnans repelleret. Vtriuſq; igitur partis uirtutes, quarum ſemina in animis hominum natura indidit, ciuilem uirum fouere oportet, & ad frugem perducere, ſicq; et pacis & belli gerendi rationem habere. Quæ ratio à maioribus noſtris non fuit neglecta, ut quibuſdam uideri ſolet. Sed quoniam initio in mari ædificata ciuitas, quæ multis annis imperium contempſit, terreſtris belli ſtudijs detineri non potuit, uniuerſam ſe ad maritimum bellum conuertit, in quo egregiam operam nauauit et pro tuenda libertate, & in honeſtibus ulciſcēdis: multáque præclara Venetorū geſta priſcis monumentis memoriæ prodita ſunt, plurimiq; triumphi et deuictis hoſtibus & eorum claſſibus ſuperatis reportati, ex quibus facilè quiuis intellexerit Venetos in re maritima longè alijs præſtitiſſe. Victa tandem poſt longum tempus pertinacia precibus finitimorum populorū, quorum quiſque ſui reguli tyrannidem, quam diutius paſſus fuerat amplius tolerare non poterat, adhibuit animum ſenatus ad continentis imperium. Vniuerſum Venetiæ regionem pulſis tyrannis, ac paſſim ciuibus deditionem facientibus, ueluti poſtliminio recuperauit: quæ libenti animo redibat ad ueteres incolas, eiectis tyrannis exteris, qui ex reliquijs Barbarorum in tota ea regione conſederant, durisſimaq; ſeruitute cunctos eos populos premebant. Prolato igitur imperio in continentem terram, præterquam quòd bonis legibus & pacis ſtudijs ij populi erant recreandi, qui nuper

deuenerant in societatem nostram, danda etiam opera fuit, ut tueri libertatem possent in quam se asseruerant. Cæterùm Venetæ *urbis situs, utpote quæ in medijs æstuarijs condita est, minimè patiebatur nostros ciues impēsius operam dare terrestri bello, illiúsue studio diutius detineri sine magno periculo seditionis ciuilis.* Nam *ciues illòs qui terrestris belli studijs adducti fuissent, oportuisset maiorem anni partem agere in continenti, ibiq; & equos alere, & equestribus certaminibus se exercere.* Quin *ut peritiores rei militaris fierent, opus fuerat ut siquando domi ocium ab armis fuisset, externa bella adirent, in hísq; animum pariter ac corpora durarent, ut in ea functione cum laude uersari possent, & patriæ prodeße. Secus autem si fecissent, inepti propemodum non tantùm imperatores, uerumetiam milites futuri fuerant.* Hæc *uerò frequens consuetudo continentis, ac intermissio urbanæ, factionem quandam ciuium paritura facilè fuerat ab alijs ciuibus disiunctam: quapropter proculdubio res* Veneta *breui ad factiones & ad bella ciuilia deducta fuißet.* Omitto *interim quàm magnos spiritus animi ciuium concepissent, cum plurimum armis potuissent, atque habuissent frequentes assectatores, ut hominum natura semper ad malitiam pronior est.* Quæ *res, ut ex priscorum monumentis facilè intelligi potest, semper* Romanam Remp. *uexauit, contumacesq; reddidit non paucos* Romanos *ciues legibus* Reip. *& decretis* Senatus. *ac demum* Iulium Cæsarem *tyrannum* Romani *imperij fecit.* Ne *ergo huiusmodi quispiam morbus*

in Venetam ciuitatem obreperet, satius esse maiores nostri statuerunt, ut continentis imperium externo ac conducto milite quàm Veneto defenderetur. Stipendium uerò illi statuit ex uectigalibus totius prouinciæ. Aequum enim erat eius regionis impensis militem uiuere, qui ad eam tuendam accersitus fuerat. In quā militiā plurimi ciues ditionis nostræ socij adscripti sunt: quorum nonnulli ad summam imperij in nostro exercitu deuenere, atque ob res egregiè gestas Veneta ciuitate & patricio iure donati sunt. Viget adhuc nostra ætate Bartholomei Coleonei Bergomensis illustrissimi uiri & summi imperatoris nomen, qui multa præclara bella confecit, ac Venetam ditionē auxit, & propterea a Rep. honestatus fuit, erecta illi equestri statua in celebri urbis loco. Ciues igitur Veneti ea de causa quā retuli, terrestris militiæ honoribus priuati sunt, omnesq; ad exteros delati. Quin lege cautū erat, nullum Venetum patricium posse pluribus quam uigintiquinque equitibus præesse. Hæc tamen lex nostra tēpestate in desuetudinem abijt ob frequentia bella quibus uexati fuimus. Cum tamen terrestre bellum ingruit, ciues nonnulli patricij ordinis in exercitum mittūtur, qui temporarium magistratum gerunt, dum bellū urget. Quæstores hi sunt, item legati, qui Imperatori exercitus externo homini semper adstant, neq; ei quidquam facere licet aut decernere nisi ex Legatorum cōsilio. Bello finito, utrique magistratus domum reuertuntur, ac in ordinem rediguntur, nec quicquam amplius iuris habent. Hæc est belli & militiæ terrestris

Continentis imperiū externo milite Veneti desēdunt.

Bartholomæus Coleoneus.

ratio apud Venetos. Bello uerò maritimo ac nauali nostra ciuitas natura magis idonea est, cuius studijs semper Veneti floruere. Nam in mari urbs cōdita parum timere poterat terrestres copias quæ ei negocium facesserent. Ac non tantùm iniquum, sed etiam ualde incommodum erat comparare exercitum ex ciuibus quem in continentem traijcerent, ac finitimos populos bello lacessérent. At à mari tum timeri iniuria poterat, tum etiam facile erat illatam ab exteris uindicare. Quamobrem uniuersa ciuitas ad studia rei maritimæ conuersa est ad quæ iuuentutem legibus instituit, ac totius uitæ consuetudine firmauit. Hic enim mos instituendi patricios homines semper fuit à teneris annis, ut usq; ad pubertatem sub pædagogi disciplina degerent, ac latinis literis imbuerentur, pro cuiusq; captu. Ab ea ætate, præter paucos quosdam qui literarum studijs se manciparant genio naturaq; ducti, omnes ferè rei maritimæ ac familiari operam darent. Ac alij quidem nauigabant ad longinquas oras, ubi mercaturæ industria rem domesticam augebant, simúlque efficiebantur periti morum, ac consuetudinis legúmque multorum hominum: plurimi conscendebant triremes armatas, atque à teneris annis & corpus laboribus firmabant, & animum excolebant rei maritimæ disciplina, necnon naualis belli peritia, quibus artibus in ea militia semper Veneti excelluere. Quin lege cautum fuit, quæ ad nostra usque tempora peruenit, ut in unaquaq; triremi armata stipendiū ex ære publico nō exiguum daretur duobus adolescentibus patricij ordinis,

Belli maritimi apud Venetos ratio.

quorum officium nullum aliud esset, præterquam imbui disciplina rei maritimæ. Ac ut id facilius assequerentur, exigua quædam munera eis incumbunt, in quorum functione exercitantur ac proficiunt, sicq; idonei fiunt ad maiora capessenda. In grauibus uerò triremibus, seu ad classem & rem bellicam instructæ fuerint, siue priuatis ciuibus locatæ ad mercaturam, octo iuuenes patricij cuique destinati sunt: nec mediocre eis stipendium constitutum uel ex pecunia publica, uel ex ære priuato tunc cum ad mercationes locātur, qui nauticis ac bellicis studijs in eis assuescant. Quinetiam priuatorum nauibus hoc onus legibus impositum est ad publicam utilitatem, ut ære domini priuati hominis, uni, seu duobus, si maior nauis fuerit, patricijs adolescentibus stipendiū soluatur, quorū nullū aliud officiū sit, præterquā exerceri munijs nauticis. Cōcessa quoq; his adolescentibus facultas est, ut in triremibus onerarijs, ac in nauibus priuatorum quibus ad scripti sunt, uehere queant certam mercium summam nullo naulo soluto: quam si non habeant, ius hoc suum alijs concedunt ac locant. Qua lege consultum fuit non solùm exercitationi iuuentutis, uerumetiam utilitati tenuiorum ciuium, qui angustia rei familiaris premerentur. Qua de re facilè intelligi à quocunq; potest curam instituendæ iuuentutis minimè à maioribus nostris præteritam fuisse, ut nonnullis uidetur: immo in ea nauium triremiumq; copia ducenti & amplius nobiles adolescentes legis istius beneficio alienis impensis ad rem nauticam instruebantur, præterquam quòd

ciuili consuetudine ac more patrio quilibet patricius iuuenis aut literis aut studijs rei maritimæ operam dabat. In qua exercitatione tum sibi plurimum, tum rei domesticæ nõnihil consulebat ac proderat. Hæ priscæ leges, atq; huiusmodi instituta etiam nostra tempestatu perdurant, licet pleriq; adolescentes ambitione aut luxu post ampliatum imperium corrupti, patrias institutiones neglexerint: ac ciuium copia adeò creuerit, ut nostra ætate ingruentibus bellis, ac rerum domesticarum dispendijs, longè plures effecti sint pauperes, quàm quod satis consuli illis queat istius legis beneficio. Ita nanq; natura comparatum est, ut nihil inter ”
homines perpetuum esse posit: uerùm cuncta quanuis ”
initio perfecte constituta eße uideantur, post aliquot annos natura in deterius labente, instauratione indigent; adeò ut quemadmodum corpus prandio saturatum, diutius incolumitatem seruare non potest, nisi post aliquot horas cœna successerit: sic in unaquaq; re opitulari oportet naturæ ad interitum labenti, nouamq; instaurationem adhibere. Huiusmodi rationem nos quoque deo bene iuuante imitabimur, ac aliquod remedium excogitabimus quo fiat ut hac etiam in parte nihil sit in nostra Rep. desiderandum. Sed de his hactenus. Nunc à nobis recensendi sunt magistratus qui præficiũtur rei maritimæ. Vnaquæq; triremis ad bellum instructa, præfectum habet uirum patricium, qui Triremum præfecti.
in ea triremi omnium potestatem obtinet, præterquã ultimi supplicij inferendi: ac ueluti in terrestri militia centurio seu aciei præfectus eorum curam habent

qui fuerint in sua acie, sic triremis præfectus nautas, cunctaq; quæ in sua triremi sunt, atq; ad eius apparatum faciunt, diligenter curat. Quotannis, quanuis belli nulla necessitas sit, Veneti aliquot triremes armant quæ reddant mare tutũ nauigantibus, securámq; nauigationem compressis piratis præstent uiris bonis qui res suas agũt sine alicuius iniuria. Præter triremium præsides est totius classis legatus, qui imperium habet in uniuersam classem, ac in cunctos triremiũ præfectos. Hic ueluti Legatus exercitus, nisi adsit Imperator, ius habet & capite mulctandi quos uelit, & dirigendi classem quò maluerit. Hic quoque magistratus semper ferè etiam pacis tempore creatur, præficiturq; ijs triremibus quæ armatæ sunt. Quòd si tempora Reip. ita postulent, ut magna classis paranda sit, tunc uniuersæ classi præficiunt Imperatorem: qui tum in classe, tum in cunctis prouincijs maritimis Venetæ ditionis amplissimam potestatem habet, ac eam propè quam olim in Romana Rep. Dictator retinebat, nisi quòd omnibus in rebus paret authoritati Senatus, et Reip. decretis. Summum tamen illi ius tributum est cum in classem, præfectos, legatósue classis, tum in prætores, ac magistratus omnes qui cum imperio sunt in locis insulisq; maritimis, ac publicum munus exercẽt: adeò ut cum classis imperator ad aliquam ciuitatem accesserit, continuò ei sacerdotum clerus obuiam prodeat, claues portarum & arcium ei dentur, iura prætorum sileant, ab omnibus magistratibus ad imperatorem liceat prouocare. Quin, si ita ei libuerit, po-

Totius classis legatus.

Classis Imperator.

test solus ius dicere, solus administrare pecuniam publicam: ac denique solus omnium potestatem habet. Nullus est apud Venetos magistratus maioris authoritatis. Idcirco rarò admodum claßi imperator præficitur. non enim temere, nisi rerum necessitas ita exigat, alicui cōceditur tam magna potestas, ut omnia ex unius ciuis arbitrio pendeant. Hoc in loco ea lex non est à nobis prætermittenda, Imperatorem, Legatum, Præfectúmue claßis ullum non posse cum triremibus armatis ingredi Venetam urbem, neque tunc etiam cum in patriam redit: sed quamprimum Istriam peruenerit, quæ prouincia cētum ferè millibus passuum ab urbe distat, stipendium nautis ex legis decreto solui debet, ibiq; omnes dimitti: deinde triremes à paucis Venetias deduci solebant, ac in nauale subuehi sub tecta in eum usum ædificata, ubi tutæ seruantur à uētorum & pluuiarum iniuria. Nunc lex hæc non ita omni ex parte seruatur, quemadmodum patrū nostrorum temporibus seruabatur. Recensiti à nobis sunt omnes ferè magistratus, præter eos quibus ueluti coronam & apicem maiores nostri imposuere, eos quos uernacula lingua à Græca appellatione deducta Syndicos dicere consueuimus: nos eos appellemus Recognitores nouo fortasse uocabulo, sed satis idoneo ad idem munus explicandum. Hi post quatuor quinqueúe annos creari solent, ac mitti tum in continentis oram nostræ ditionis, tum in regiones maritimas ac insulas. Recognoscunt hi gesta omniū prætorum, atque aliorū qui foris publicam potestatē habuerint, in quos animad-

Syndici seu recognitores.

uertunt ea propemodum authoritate, quæ Aduocatoribus tributa est. Nã ut sapienter Aristoteles inquit, ij qui in potestate sunt, nisi ex alijs pendeant, ægrè in officio persistunt, propter ingenitam cuique malitiã. Peregimus iam omnes patriciorum hominum magistratus quibus Resp. Veneta domi forisq; administratur: reliquũ est ut ea ratio à nobis referatur, qua prudentissimi homines maiores nostri semper in officio plebem ac uniuersum populum continuerunt, rem certè supra omnium fidem, tot annos populum gubernationis publicæ expertem, nunquam patriciorum imperium detrectasse, aut ægrè tulisset, nec quidpiam unquam molitum esse ut mutata Reipublicæ forma, ipsè quoque ad ius publicam admitteretur, immo semper amantissimum atq; obsequentissimũ nobilitati se præstitisse. Verùm si quis præter situs opportunitatẽ ual de commodo ad Remp. tuendam, moderationem nostrã in regendo animaduerterit, comperiet populum non omnino repudiatum fuisse, sed ad ea munera publica admissum, quæ ei committi poterant absque rei communis detrimento. ideoq; facilè perspicere poterit id in hac Repũb. temperamentum extitisse, quod cæteris omnibus tum priscis tum iunioribus semper defuit. Quamobrem etiam euenisse comperiet, ut in cunctis alijs tumultus populares frequenter fuerint excitati, qui tandem Respublicas omnes euerterint: contrà in nostra ciuitate ob eam causam nullum unquam tumultum popularem aut seditionem extitisse. Necessarium nanq; fuerat, ut in exordio operis dixi, si rectè Resp.

instituenda erat, populum à gubernatione Reip. excludi. Qua in parte maiores nostri non tantùm authoritatem summorum philosophorum, ac rationem sequuti sunt, uerumetiam imitati sunt Sesostrim antiquissimum Aegyptiorum legislatorem, qui ut in Politicis Aristoteles perhibet, genere distinctos uoluit eos esse qui armis regionem tutarentur, quiue de bono publico consultarent, ac iudicia exercerent, ab agricolis, mechanicisq; artes exercentibus, ac mercenariam operam locantibus. Verùm institutum hoc facilè euertere Remp. poterat, nisi temperatio ea adhibita fuisset, quam maiores nostri sapientissimi homines adhibuere. Primùm ergo apud Venetos constantissimè hoc seruatum fuit, ut omnibus æquum ius esset, neque ulli impunè liceret uel ex infima plebe hominem iniuria afficere. Patricium uerò hominem contumeliam facere plebeio, pro sacrilegio ac scelere maximo semper habitum fuit. Quòd si quis temerarius huiusmodi quidpiam perpetrare ausus unquam fuit, nullus quoque ei fuit impunitati locus, sed tanto grauiores pœnas dedit, quanto maioris existimationis authoritatísue extitit. Præterea diligenter à Senatu consulitur tum annonæ triticeæ, tum rerum omnium copiæ quæ faciũt ad uictum ciuium, & ad incolumitatem totius populi, adeò ut magna interdum dispendia faciat publicũ ærarium ne ciuitas penuria laboret. Quod exploratum cuilibet esse potest ex his quæ suprà à nobis dicta sunt, cum de præfectis annonæ triticeæ, ac de curatoribus publicæ salutis ageremus. Ac populi quidem hæc duo

Sesostris Aegyptiorum legislator.

potißimum requirunt à rectoribus ciuitatum, ut scilicet commodè uiuant in rerum copia, neq; obnoxij sint iniuriæ potẽtiorum ciuium: quæ cum adsecuti fuerint, res suas agunt cæterorum securi. Nihil uerò à maioribus nostris omißum fuit quod ad ea duo pertineret: quin potius multa præterea addita sunt quibus mirificè consulitur populi commodo, atque eorum hominum inopiæ, qui in studijs honestis Reip. utilibus uersantur, aut olim uersati sunt, nec amplius per ætatem aut imbecillitatem ualetudinis id muneris obire queunt. Nam Venetijs innumeræ domus ædificatæ sunt satis idoneæ aptæq; rei domesticæ, quæ hominibus hisce gratis conceduntur, in quibus cum familia degãt quo ad uixerint, sine rei familiaris dispendio. His adde quòd in nauali amplißimo, quod uicem oppidi obtinet, constitutum est stipẽdium non mediocri hominum multitudini, qui tamen nihil agunt, seu propter senium, seu ob incommodum acceptum tum cum florenti ætate suum munus in ædificandis triremibus, aut huiusmodi quopiam munere Reipublicæ utili obierint. Præterea ueteri instituto in contractibus emptionis uenditionisue mercium preciosarum, alteruter, emptor scilicet aut uenditor, certum quidpiam soluunt pro summa mercium, quod pauperibus nautis impertiunt, qui amplius ei officio satisfacere minimè possint propter ætatem, quam tamen in ea functione cõsumpserint. Cæterum præter hæc optima instituta ad continendam plebem in officio Reip. nonnullas alias leges recensebimus, quæ sapientissimè mihi à maio-

ribus nostris inuentæ uideri solent, ut pro eorum hominum conditione satisfactum pulcherrimè sit ambitioni & honoris cupiditati, quæ natura insita est cunctorum animis, nec tamen propterea gubernatio nobilitatis ulla in parte perturbetur. Vniuersus populus in duo est genera distributus. Nam quidam honestioris sunt generis, alij uerò ex infima plebe, ut artifices, & id hominum genus quod ab Aristotele *in* Politicis *seruorum publicorum esse perhibetur.* V*trisq; meo iudicio consultum est nec incommodè, nec iniquè.* Nam *plebeijs hominibus, qui suapte natura parùm honori student, sed potius studio rei familiaris inseruiunt, modica etiā, aliqua tamen iura concessa sunt, suiq; honores.* In *tot enim classes distributi sunt, quòt sunt artificia in quibus degunt: ac unicuique classi propriæ quædam datæ sunt leges, sub quibus sua quisque exercet artificia.* His *præficiūtur totius classis suffragijs ex eorum numero nonnulli, qui non incōmodè artificij illius præfecti appellari possunt.* Horū *iussu multa præscribuntur, nonnullæq; leuiores lites horum arbitrio diiudicantur.* Quo *fit ut plerique omnes artifices, cum eius honoris compotes fuerint facti, in eo munere sibi placeant, putentq; se non parum dignitatis esse adsecutos, cum eò peruenerint ut à sui ordinis hominibus ea præfectura digni habiti fuerint. Sūt præterea in unaquaque classe inferiores quidam præfectis, qui tamen nonnullius existimationis sint.* Hoc *igitur modo magna in parte satisfit honoris cupiditati, quæ indita esse uidetur animis etiam plebeio-*

Populus in duo genera distributus.

Plebeij ī tot classes distributi, quot sunt artificia.

Artificiorū præfecti.

Honestius populi genus. rum hominum, ac infimæ plebis. Alterum populi genus honestius in Veneta ciuitate honoratiorem quoque locum habet: cui priuata quædam ac propria munera sunt constituta, decora atque honesta, quibus patricij ordinis uiri priuati sunt, nec ad ea ulla ratione accessum habent, quorum multa sunt ut nec patricium hominem tum propter emolumentum, tum ob honoris titulum, eorum pœnitere possit. Scribarum ordo. Scribarum ordo honestissimus est, qui magistratibus quibusq; adsident. Id munus plebeijs tantùm hominibus datur, patricio nulli: quod quanuis illustre non sit, est tamen honestum. Eorum nanq; fidei & solertiæ codices scriptaq; publica, quibus res omnis publica & priuata continetur, commissa sunt. Cui prouinciæ qui dignus habeatur, is iure optimo & probi uiri, & industrij nomen ac existimationem sibi uendicauerit. Atque id plerisq; omnibus stipendium constitutum est, ut rei domesticæ non tantùm tuendæ, sed etiam amplificadæ satis sit. A secretis Senatus. At hi omnes qui sunt à secretis senatus, ex populo sunt, patricius nullus. Hic ordo superiore honestior est. Idcirco illi ex populo qui nobiliori genere orti sunt, eo munere fungi solent. Reditus habent ex ære publico non mediocres, neq; ullum Senatuscõsultum hos latet. semper enim intersunt & collegij & Senatus consultationibus: ex qua re in magno precio ab omnibus habentur. Ex his nonnulli seligũtur qui decemuiris ministrant, eorumq; acta in codices referunt, ac conscij omnium sunt quæ ab eo collegio aguntur. In quo honore perdurãt quoad uixerint, non per

uices,

uices, quemadmodum patricij uiri in suis magistratibus, quorum nullus præter procuratorium perpetuus est. Horum qui à secretis senatus sunt, unus primas partes tenet, ac Cãcellarius Venetiarum nominatur, qui in maximo est honore. Nam à quouis patricio ei loco ceditur, præterquam à procuratoribus. Nullum is reip. ignorat arcanum. Magni quoque sunt ei reditus ex ære Reip. constituti: ac cum diem obierit, funebri oratione honestatur: quæ dignitas nulli in Veneta ciuitate deferri consueuit præterquam duci; aut cuipiam ciui, qui sit extra aleam, ut dici solet, præterea nemini: quasi Cancellarius ducem alium ex populo referat. Hic unus creatur comitijs magni consilij: cæteri omnes qui a secretis sunt, à decemuiris deliguntur, atque subduntur eorum censuræ, si quid in functione publica quam habent, deliquerint. Omnes etiam populares cœtus, ut artificum classes, & cuiusq; artificij præfecti, nonnulliq; alij de quibus infrà dicemus, ex arbitrio decemuirũ pendent, ac eorũ ditioni subiecti sunt illiúsque collegij authoritate et initio constituti fuere, & nunc continentur. Sapiens certè institutum, ut is magistratus præuideat ne huiusmodi cœtus qui ad bonum publicum sunt instituti, quandoque simulatione officij aliquid in rẽp. molirentur, qui ad eius morbi cautionem initio creatus fuit, ne qua scilicet malorum ciuium conspiratio facesseret negotium reipublicæ. Sũt præterea Venetijs quinque societates initæ sub diuorũ quorundam nomine & religione, in quibus innumeri homines sunt & plebeij & patricij ordinis. Harum

Societates quinque Venetijs.

Marci minimè concedant, qui magistratus patricius amplissimus est. Ad hunc honorem, prefecturam uide licet societatũ, patricijs uiris nullus est accessus, quanuis sint è numero fratrum, sed plebeij tantùm homines illius dignitatis compotes esse queũt: ut hac etiam in parte populus nobilitatẽ æmularetur. Hi nanq; societatem præfecti quodammodo in populo referunt procuratoriam dignitatem. Verùm ne qua ratione huiusmodi societates, atque hi præfecti officer ent reipublicæ, omnes sub potestate decemuirûm continentur, ut ne quid immutare queant, aut in unum cogi præter tẽpora statuta, nisi ex eorum arbitrio, ac potestate à decemuiris impetrata. Huiusmodi honores in nostra republica uiris plebeis utriusq; ordinis cõstituti sunt ut omnino expertes non essent iuris publici, ac ciuilium numerum, sed cupiditati honoris, ambitioníue hac ratione satisfacerent, non solicitato perturbatóue statu nobilium. Quo gubernationis temperamento id est respublica nostra cõsecuta, quod priscarum nulla alioquin illustrium. Nã a primis initijs ad hæc usque tempora mille ferè ac ducentis annis perseuerauit libera non tantùm ab exterorum hominum dominatu, uerumetiam à ciuili seditione, quæ fuerit alicuius momenti. Quod adepta est non ui ulla, ut armatis satellitibus, seu munita arce, sed æqua hac atque temperata ratione regendi, adeò ut populus libenti animo pareat nobilitati, neque ullam mutationem rerum optet, quin potius egregiè sit affectus nobilibus. Quæ res nostra tempestate potuit esse cõpertissima. Nam cum

Christiani principes conspirassent in perniciem atq; exitium nominis Veneti, fususq; noster exercitus fuisset à Ludouico Gallorum rege iuxta cassanum oppidũ agri Cremonensis ingenti clade accepta, imminerentque inde Germani, hinc Iulius Romanus pontifex, ac uniuersa penè continentis ora ab imperio Veneto desciuisset: ea rerum angustia ac perturbatione, Venetus populus adeò nihil in nobilitatẽ molitus est, ut lachrymantes omnes se suáque obtulerint ad reip. defensionem, réque ipsa præstiterint. Nam Pataujo urbe propter incolarum animum erga nos egregiè propẽsum nullo negotio recuperata, cum Maximilianus imperator undique contractis auxilijs ingenti exercitu eam urbem obsedisset, quamplurimi non tantùm patricij, uerumetiam plebeij ordinis, spontè cum militibus stipendio eorum priuato conductis ad tuendam illam ciuitatem profecti sunt, egregiámque in ea expeditione operam nauarunt, adeò ut imperator coactus fuerit reducere exercitum expugnatione urbis non tentata. Nec minori negotio aliæ quoque ciuitates recuperatæ sunt, maximo populorum omnium fauore ex alieno imperio ad Venetum ueluti ad portum tutissimum confugientium. Euidens certè argumentum iustæ dominationis, cum uolentibus imperatur. Sed non absq; ratione contigisse, si quis bene attenderit, facilè comperiet. Cuique etenim ciuitati quæ in societatem Veneti imperij uenit, municipales leges relictæ sunt, multisque honoribus ciues in sua quisq; ciuitate potiũtur: nonnulláque oppida in agris urbium sita, eorũ rectio-

Ludouicus Galliarum rex.

Iulius pontifex maximus.

Patauium.

Maximilianus imperator.

Ciuitatibus municipales leges relictę


ne gubernantur. His adde quòd prætoribus ciuitatum qui illustriores sunt, assident cum ius populo dicant, homines iurisperiti, quibuscum consultant antè quàm quidpiam decernant. Qui honos est non exiguus, nec modicum inde emolumentum ad eos uenit. Huius generis magistratibus fungi patricij Veneti non possūt, sed uel ex Veneto populo, seu ut plerunque, ex socijs ciuitatibus deliguntur. Ex quibus facilè quiuis intelliget eã adhibitam fuisse in hac republica moderationē quæ maximè uideatur rerū naturam imitari. Nam in animantis corpore uidendi officium perspiciendiq; munus solis oculis est attributum: reliqua uerò munera ignobiliora cæteris membris relicta sunt, quæ tamen usu uidendi careant, sed pareant, nec aliquo pacto obaudiant, ijs quæ ab oculis ita esse nunciata fuerint, néue aliò ferantur, quàm quò oculi ea direxerint. Sicq; optimè uniuersum corpus consistit & conseruatur. Non dissimili ratione in republica Veneta summa rerum gubernatio patricio ordini est demandata, ueluti quibusdam oculis ciuitatis: ignobiliora officia cæteris ex populo. Sicque tanquam bene compactum corpus Veneti fœlicissimè uiuunt, cum oculi reipublicæ non sibi tantùm, sed uniuersis membris prospiciant: cæteræ uerò ciuitatis partes non tantùm sui habeant rationem, uerumetiã hisce oculis ueluti potioribus membris reipublicæ libentissimè obtemperent. Quòd si in quapiam republica eò insaniæ uenerint ciues, quod in plerisque cõtingit, ut populus uidendi munere fungi uelit, ac oculorum officium usurpet, continuò uniuer-

sam rempublicam necesse est euerti. Quòc si etiam patricij ciues sibi tantùm prospexerint, alia uerò ciuitatis membra contempserint, iritato populo ad perniciem nobilitatis, proculdubio reipublicæ malè successerit. Lostri maiores naturam imitati, utrique incommodo prouiderunt: illámque præstiterunt moderationem, ut nullus nisi inuidus locum habeat obtrectandi tam legitimæ atque optimæ institutioni. Quam Deum optimum precamur ut diu seruet incolumem. Si enim quidpiam boni à Deo immortali hominibus prouenire credibile est, hoc præcipuè diuinitus Venetæ urbi obtigisse persuasissimum cuilibet esse debet.

FINIS.

GASPARIS CONTARENI DE REpublica & Magistratibus Venetorum Libri ultimi finis.

VENETIIS APVD BALDVM SABINVM ANNO M. D. LI.



INDEX ALPHABETICVS IN Quinque libros Gaſparis Contareni Patricij Veneti de Magiſtratibus et Repub. Venetorum.

E

FINIS.





